A videranr, ea ſolertia efficiebant, ut noſtri illorum opera imitari viderentur.

M. Furius Bibaculus Cremonenſis Jambographus, Pantomimus dictus eſt, quia omnia imitaretur. Circa tempora Ciceronis vixit. Virgilius ab eo carmina aliquot accepiſſe dicitur, teſte Macrobio. *Gyrald. Dial.4. Hiſt. Poet.*

Titianus Græcus orator, præceptor Maximini principis, qui ſcripſit libros provinciarum pulcherrimos, omnia tam probè in vita imitatus eſt, ut non immeritò ſui temporis ſimia appellatus ſit. *Capitolinus in Maximino, & Cælius, lib.3. c.10.*

Titus Imp. notis excipere velociſſimè ſolitus, cum amanuenſibus ſuis per ludum jocumque certans imitabatur chirographa quæcunque vidiſſet: ac profitebatur ſæpè, ſe maximum falſarium eſſe potuiſſe. *Sveton.*

Alexander Archiepiſcopus titulo D. Andreæ, filius Jacobi Scotiæ Regis, inſignis artifex erat in aliena manu imitanda. Senæ olim Eraſm. Rot. quo familiariſſ. utebatur, oſtendit codicem quendam typis excuſum, quem certò ſciebat nunquam ab eo lectum. In eo multa annotarat in ſpatiis marginalibus. Protinùs agnovit Eraſmus manum ſuam: Agnoſco,
B inquit, figuras meas, verùm codicem hunc nec legi, nec habui unquam. Ille contrà: Legiſti olim, ſed excidit; alioqui unde hæ tuæ manus notulæ? Tandem cum riſu faſſus eſt dolum. Tum Eraſmus: Næ tu præclarè falſarium agere poſſis, ſi velis. *Eraſmus adverſus mendacium.*

DIFFICILIS.

Virgilius, cùm ſibi exprobratum eſſet, quòd verſus Homericos abſtuliſſet, & in operis ſui congeriem redegiſſet, reſpondiſſe traditur, magnarum eſſe virium, auferre clavam de manu Herculis. Non diſſimulans, ſe illis verſibus non precariò, ſed pro ſuis uti. *Petrarcha de Iocis.*

RESPECTU CONATUS.

Imitatio Irrita.

Telesias Thebanus Poeta & muſicus, cum juvenis adhuc in optima muſica verſatus eſſet, Pindari, Dionyſii Thebani, Lampri, Pratinæ, & reliquorum Lycorum, qui Poetæ cru-
C maton fuerunt: exacto ætatis vigore, uſque adeò captus eſt ſcenica & varia illa muſica, ut neglectis illis bonis, in quibus diu verſatus fuerat, ad Philoxenii & Timothei modos, varios atque novos, animum deflexerit; & tamen cùm diu ſatis elaboraſſet inter Pindaricum & Philoxenium modum, Philoxenium quamvis deteriorem nunquam aſſequi potuit, quòd optimis à puero aſſueviſſet. *Plut. in Muſica, ex Ariſtoxeno.*

Cùm in rebus ſimili aliquo illuſtrandis admirabilis ſemper fuerit Homerus, illa in primis ipſius collatio celebratur, & à magnis auctoribus in aſtra tollitur, cùm, interfecto ab Hectore Patroclo, Principes Græcarum copiarum ſe eò repentè contulerunt, ne corpus ipſius ad ſe traherent hoſtes, ludibrioque ipſum afficerent: contraque Trojani, & ipſi conferti, Duce Hectore, plenam integramque victoriam illam adipiſci conati ſunt, ac globo facto fortiter reſtiterunt Græcis. Concurſum enim eum, clamoremque editum ab utraque parte, illuſtrare volens Poeta, fecit eum ſimilem magno fluctui, qui incurrit in fluvium auctum imbribus, & ipſum magnam vim aquarum effundentem in mare; unde vicina litora, percuſſa fluctibus clamant, ſonoremque ingentem edunt. Omnis igitur hæc collatio
D multis magniſque virtutibus referta eſt; in primis autem tertius ipſius verſus, quo ſingulari quodam artificio, ſermoniſque ejus facilitate, mirificè exprimit ſono literarum ſonorem eum, quem dixit eo excitari. Eſt autem hic valdè notus:

Ἠιόνες βοόωσιν, ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

Ut autem magis adhuc hanc collationem celebrem, libet hìc apponere, quod in antiquo libro declarationis loco adnotatum inveni: legitur enim illic, imaginem hanc cauſam fuiſſe, ut Plato combuſſerit ſua poemata: factum namque in ea eſſe, quod videtur naturæ repugnare, ut quod auditur, planius evidentiuſque ſit, quàm quod aſpicitur. In alio tamen ſcholio in eundem locum, traditur hoc contigiſſe Soloni, quod mihi ſanè minùs veriſimile eſt: neque enim ita grandis ille Poeta fuit, ut contendere de ſummo loco potuerit cum Homero: & prætereà poemata ipſius lævia plerumque, & aliquando etiam mollia laſcivaque erant. *Victor. lib.36. Var. lect. c.13.*

Philopæmenes Megalopolitanus Dux præſtantiſſimus Arcadum, Epaminondæ Thebani artes & res geſtas ſtudioſiſſimè æmulatus, aſſequi tamen nullo pacto potuit. Fuit enim Epaminondas miro prorſus ingenio, & animi lenitate ſumma, cum hic ad iram eſſet proclivior. *Pauſan. in Arcad.* De eo ſic *Plut.* E
Strenuitatem ejus & prudentiam atque abſtinentiam, egregiè expreſſit: lenitatem, gravitatem, humanitatem in civilibus contentionibus non potuit retinere. Unde propter iracundiam & animum præfractum, ad militares videbatur, quàm ad civiles artes accommodatior.

RESPECTU EVENTUS.

Imitatio Felix.

Quemadmodùm qui frequenter jaciunt, interdum etiam collineant, ſcopumque feriunt, dum aſſiduitas & quotidiana induſtria in tractandis inſtrumentis, plerumque ad dexteritatem non ſcientiam, ſed artem gignit: ad eundem modum Libanius Sophiſta Antiochenus, dum æmulationis ſtudio atque imitationis contentione, adjungit ſe, & veluti affricat veteribus ſcriptoribus, optimis & idoneis ducibus, veſtigia optima ingreſſus eſt, & fructus via quam inſtitit dignos percepit. *Eunapius in ejus vita.*

Selimus Turcarum Princeps, cujus majores ab hiſtoria velut à fabulis ſemper abhorruerant, primus geſta C. Jul. Cæſa- F
ris in linguam vernaculam transferri curavit; ac ejus imitatione brevi magnam Aſiæ minoris & Africæ partem cum Imperio majorum conjunxit. *Bodinus.*

INFELIX.

Icarus patrem Dædalum malè imitatus periit. ☞ *Vide Tit. Nautarum.*

Tul. Hostilius Numæ magiam in eliciendis fulminibus non ritè imitatus, fulmine ictus conflagravit. *Plinius lib.28. c.2. ex L. Piſone.*

In cædem Joan. Cardinalis & Juliani Medicum conſpirarunt Auguſtinus Caponius, & Petrus Paulus Boſcolus, qui Bruti virtutem & gloriam ferebat in cœlum, ſeque Brutum fore teſtabatur, ſi ſibi fidum magni conſilii participem Caſſium reperiret. Ergo Caponius, qui multa à Boſcolo ex hiſtoriis de Caſſio præclara audierat, libenter in ejus nomen eſt adoptatus. Cæterùm detecta conjuratione, uterque ſupplicium extremum tulit. *Iovius lib.3. in Leone 10.*

---

* Immortalitas. G

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

Immortalitas, ἀθανασία Græcis, eſt ſempiterna vivendi duratio ſive extenſio. Unde immortalem dicimus illum, qui ſemper vivit, & nunquam moritur. Competit autem Chriſto homini, Angelis, materiæ primæ, & animæ rationali, quæ ſuaptè natura nequeunt interire: per abſolutam tamen Dei potentiam poſſunt. Deus verò ſingulari modo immortalis eſt, nec per ullam poteſtatem deficere aut interire poteſt; unde & ſolus immortalitatem habere dicitur, 1. *ad Timoth. c.6.*

IMMORTALITAS ANIMÆ,

Adserta Ex S. Scriptura.

Per hoc quod dicitur de Abraham: Congregatus eſt ad populum ſuum, innuitur, quòd in alio ſæculo haberet populum, ſcil. homines qui benè vixerant, ſicut & ipſe. *Geneſ.25.* H

Simile habetur de Iſaac, Appoſitus eſt populo ſuo. *Gen.35.* Et de Jacob. *Gen.49.*

Quum crederet Jacob mortuum eſſe Joſeph: Deſcendam, inquit, ad filium meum, lugens in infernum. Unde credebat eum ibi eſſe ſecundùm ſpiritum. *Gen.37.*

Fratres Joſeph volentes dicere, quòd unus fratrum ſuorum mortuus eſſet, dicebant: Duodecim fratres ſumus, filii viri unius minimus cum patre noſtro eſt, alius non eſt ſuper. *Gen.42.*

Apparens Dominus Moyſi in Rubo, dixit: Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, &c. Per hoc probat Salvator noſter reſurrectionem mortuorum: Non eſt, inquit, Deus mortuorum, ſed viventium. *Exod.3.*

De Chore & complicibus ejus dicitur: Deſcenderunt vivi in infernum, & operti humo, & perierunt de medio multitudinis. Per hoc patet, quòd in inferno vivant mali ſecundùm animas. *Matth.22. Num.16.*

Si Saul credidiſſet Samuelem penitùs, quantùm ad animam fuiſſe extinctum, non petiviſſet ipſum ſuſcitari. 1. *Reg.28.*

Mirantibus ſervis David, quòd ipſe pro mortuo parvulo non ploraret, dixit: Ego vadam ad eum, ille verò non revertetur ad me. 2. *Reg.12.*

Cùm

A Cùm ſuſpenſus & tribus lanceis confoſſus Abſalon interiiſſet, David lacrymabiliter planxit eum. 2. *Reg.18.* Et ut *Aug. in lib. 3. de Doctrina Chriſtiana*, ait: Non orbitatem filii doluit, ſed quia noverat, in quas pœnas tam impiè adultera, & parricidalis anima raperetur. Namque alio priùs filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente, lætatus eſt, *ut* 2. *Reg.12.* habetur.

Oravit Elias pro ſuſcitatione filii hoſpitæ ſuæ, dicens: Domine Deus meus, revertatur oro anima hujus pueri in viſcera ejus. Frequenter legitur in libr. Reg. Dormivit cum patribus ſuis. Quod quidem nullatenùs de brutis animalibus poteſt dici. Unde probatur eos vivere poſt mortem, & poſtea reſurrecturos eſſe, ſicut in dormiente. 3. *Reg.17.*

Ex verbis quæ dixit Tobias, increpans ſtultitiam propinquorum, patet manifeſtè, quòd anima vivat poſt ſeparationem à corpore: Filii, inquit, ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo. Item in oratione poſteà, dixit: Domine, ſecundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi ſpiritum meum. *Tob.2.*

B Addidit Dominus omnia, quæcumque fuerant Job, duplicia, ſed tantùm dedit ſeptem filios, & tres filias ſicut priùs, eò quòd ſecundùm Gregor. primi non reputabantur mortui, cùm eorum animæ viverent. *Iob.3. & 42.*

Valdè expreſsè dixit Salomon in fine Eccleſiaſtes lib. Revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat; & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. *Eccleſ. ult.*

Ex verbis illis, ſcilicet, Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, &c. quæ dicunt damnati in inferno, oſtenditur, tam malos, quàm bonos in alio ſæculo vivere. *Sap.5.*

De Nabuchodonoſor Rege Babylonis dicitur ad literam: Ex quo dormiſti, in morte ſcilicet, non aſcendit, qui ſuccidat nos. Infernus ſubter te conturbatus eſt in occurſum adventus tui. Et poſtea: Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua. Et plura ponuntur ibi, per quæ patet, illum non penitùs interiiſſe, ſed ad infernum ejus animam deſcendiſſe. *Iſai.14.*

Dum ſuaderetur Eleazaro, ut ſimularet ſe de carnibus ſacrificii comediſſe, dixit: Et ſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. 2. *Mac.6.*

C Unus ſeptem illorum fratrum, dixit: De cœlo iſta poſſideo, ſed & propter Dei leges hæc ipſa deſpicio. Quoniam ea ab ipſo me recepturum ſpero. Similiter ex verbis matris ejus & aliorum patet, quòd quantùm ad animam, non credebant ſe perire. 1. *Mac.7.*

Razias complexus inteſtina ſua projecit ſuper turbas, invocans dominatorem terræ ac ſpiritus, ut hæc illi iterùm redderet, & ſic obiit. 2. *Mac.14.*

Monens, ac etiam muniens diſcipulos, quos mittebat Salvator, ait: Nolite timere illos, qui occidunt corpus, animam verò non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poſtquàm occidit, habet poteſtatem mittendi in gehennam. *Matth.10.*

Nota in eo quod narrat Dominus de divite & Lazaro, non videtur parabola aliqua vel ſimilitudo. Unde videtur fuiſſe hiſtoria manifeſta, & ſic apparet eſſe ſive bonorum, ſive malorum animas immortales, & recipere poſt ſeparationem à corpore, pro ut in corpore meruerunt. *Luc.16.*

Exemplo Villici iniquitatis, qui fecit amicos de bonis domini ſui, concludit Dominus dicens: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in
D æterna tabernacula. Quod fruſtra eſſet dictum, ſi anima poſt ſeparationem à corpore, ſeu poſt mortem corporis, nullum haberet receptaculum. *Eodem.*

Idem Dominus contra Sadducæos probat animæ immortalitatem hoc dicto, quòd ſcil. Deus vocetur Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob: quòd ſit Deus vivorum, non mortuorum id eſt, quem mortui colunt, aut qui de mortuis glorietur: vivere igitur ſignificat Patriarchas apud Deum. *Matth.22.*

Devotam & rectam fidem de anima habebat B. Stephanus, qui cum lapidaretur, dicebat: Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum. *Act.7.*

Ex verbis egregii Doctoris Pauli, animam vivere poſt ſeparationem à corpore, manifeſtè apparet. 1. *Cor.15.*

Cùm dicit, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Rom.7.*

Idem, Scimus, inquit, quoniam ſi terreſtris domus diſſolvatur, quòd ædificationem habemus ex Deo domum non manu factam, ſed æternam in cœlis. 2. *Corinth.5.*

Et *ad Philip.* Deſideriū habens diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Talia certè non diceret, niſi certus eſſet de alia vita. *Philip.1.*

EXEMPLA ETHNICORUM. E

Idipſum ſenſerunt, & per umbram viderunt Philoſophi Ethnici. *Ælian. lib.13.* narrat, Cercidam Megalopolitanum, qui morbo laborabat, interrogatum, Num libenter migraret è vita, reſpondiſſe: Quidni? Delector ſeparatione animæ à corpore, quoniam ad eas oras aſcendam, ubi videbo ex Philoſophis Pythagoram, ex Poetis Homerum, ex Muſicis Olympum, & alios viros in omni ſcientia præſtantiſſimos.

Socrates, priuſquam venenum hauriret, dixit: Quanti æſtimatis colloqui in altera vita cum Orpheo, Muſæo, Homero, Heſiodo? Quanta voluptate perfundar, cum Palamedem, cum Ajacem, cum alios judicio iniquorum damnatos conveniam? Equidem ſæpè excedere è vita, ſi fieri poſſet, vellem, ut quæ dico, poſſem invenire.

Cato legens librum Platonis de immortal. Animæ, ſeipſum occidit, ut immortalem hanc vitam aſſequeretur.

Cyrus apud Xenophontem moriens, ait ad filios: Nolite putare filii, me, cum ab hac vita migravero, nuſquam aut nullum fore. Nam nec dum vobiſcum communicabam, animum F
meum intuebamini, ſed corpus hoc ejus eſſe domicilium intelligebatis. Eundem eum eſſe creditore, etiamſi modò ſeparetur à corpore.

Cicero lib.6. de Republ. Scipionem Africanum jam vita functum, ita loquentem inducit: Sic habeto, omnibus qui patriam conſervaverint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cœlo, ac definitum locum, ubi ævo ſempiterno fruantur. Et interrogatus, viverentne ipſe, & alii, qui putabantur extincti? Imò verò inquit, hi vivunt, qui ex corporum vinculis tanquam è carcere evolarunt: Veſtra verò quæ dicitur vita, mors eſt.

☞ *Adducantur ad hunc locum plura hujus argumenti, ex loco Anima. Item de Iudicio & Iudice. Tit. Iudicium Metaphyſicum: §. De Animorum immortalitate. Vbi quid hac de re Ethnici ſenſerint, luculenter & diſtinctè diſſeritur.*

Impaſſibilitas.

Sive IMPATIBILITAS. G

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Impaſſibilitas eſt qualitas quædam, qua vivens redditur tutum, vel conſervatur adversùs omne id quod vim inferre, nocere, aut illud deſtruere poteſt, ſive id fiat ab intrinſeco, ſive ab extrinſeco, hoc eſt, ſive ab ipſo temperamento corporum ipſorum eveniat, aut influxu aliquo conſervativo, ſive ex eo, quòd ſublimiore potentia concurrente omne noxium amoveatur, aut concurſum ſuum Deus ſubtrahat, ne nocere poſſit, quod aliàs vi ſua nociturum eſſet: quomodo tres pueri in fornace Babylonica, Daniel in Lacu Leonum, S. Agatha in medio flammarum, manſerunt illæſi.

IMPASSIBILITAS CORPORIS.

Cauſa hujus vel naturæ accepta ferenda, vel magiæ, vel divinæ poteſtati. Ex loco igitur Miraculorum, tum ſacrorum, tum magicorum, huc quædam transferri poterunt. ☞ *Item propriè ex Loco de glorioſi corporis dotibus. Ex Loco de Reſurrectione, & Sanctis.*

ASPECTU. INVISIBILIS. H

Obſervatum in veteribus memoriis, Perſeum ad Gorgonas profecturum, à Minerva clypeum accepiſſe vitreum, per quem videre, nec videri poſſet. Tradunt alii, galeæ vim fuiſſe hanc à Mercurio eidem oblatam. Alii Orci galea à Nymphis accepta uſum putant, ejuſdemque beneficio inſequentes duas Gorgonas Euryclem & Stheno, Meduſæ ſororis cædem ulturas, eluſiſſe & effugiſſe. *Cælius lib.6. c.11. Lect. Antiq. & Eraſm.*

Annulum aliquando fuiſſe ferunt Gygi Lydorum Regi, mirandæ cujuſdam & inuſitatæ naturæ. Siquidem ubi ejus palam, ſive fundam malis fuiſſe (nam σφενδόνην hanc Græci vocant) ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat: idem rurſus videbatur, quum invertiſſet annulum. Itaque hac opportunitate annuli uſus, reginæ ſtuprum intulit, eaque continente, Regem dominum interemit, ſuſtulitque quos obſtare arbitrabatur, nec in iis eum facinoribus quiſquam potuit videre. Sic repentè annuli beneficio Rex factus eſt Lydiæ. *Ex Platone Cæl. lib.6. c.11. Lect. Antiq.*

AB IGNE INCOMBUSTILES.

Haud procul urbe Roma in Faliſcorum agro familiæ ſunt,

A paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur. Et ob id perpetuo ſenatuſconſulto militiæ omniumque aliorum munerum vacationem habent, *Plin. lib.7. c.2.*

AB AQUA. QUI AQUA MERGI NEQUEUNT.

Qui super aquas ambulant.

Ægyptia Maria Jordanem amnem ſicco veſtigio, neque ſemel tantùm, tranſgreſſa eſt; qui fluvius, ſi ſola naturæ vis inſpiciatur, trajici ſine navi non poteſt. *Fulg. lib.1. c.6.*

Orion Neptuni F. à patre Neptuno impetravit, ut tam ſuper undas, quàm ſuper terram poſſet incedere. *Natalis Comes Mythol. lib.8. c.13.*

A VENENO.

Anus quædam Athenienſis ab exigua cicutæ portione auſpicata, ſenſim progrediendo effecit, ut ea innoxiè in magna copia uteretur. *Gal. lib.3. Simpl. med. c.18.*

B Mitridates Junior, qui annis LVI. bellum cum Romanis varia geſſit victoria, poſt occupatam Aſiam, Q. Oppium & Aquilejum in vincula conjectos, Rhodum oppugnatam, Athenas per Archelaum præfectum occupatas: à Lucullo primùm, demùm à Pompejo ſuperatus, poſtremò à Pharnace filio adoleſcente ingratiſſimo (qui à patre ad Pompejum defecerat) bello petitus & obſeſſus venenum hauſit. Quo nihil ad mortem propter ſumptum antidotum proficiens, auxilio Galli cujuſdam militis, Vitigis nomine, ſe interfecit. *Plin. lib. 23. c.9.*

Arist. ſcribit, puellam quandam cœpiſſe initio paulatim venenis innutriri, conſuetudinemque in naturam abiiſſe, ut iis perinde veſceretur aleretur que, ac conſuetis cibis reliquis. Adjicit, fuiſſe puellæ cor caloris inops, præterea meatus prætenues, ita ut digeſtionis vi inſigniter demutaretur hauſtum venenum, priùs quàm cor pertingeret. Ipſam verò educationis ratione venenoſam evaſiſſe, ut ſputo, ac quovis humore alio perimeret appropinquantes, e veſtigio etiamnum expirantibus, qui cum ea coiſſent. *Cælius lib.11. c.13. A. L.*

Auctor Magnus Albertus eſt, in Colonia Agrippina puellam
C ſe vidiſſe, quæ in trimatu parietibus arreperet araneas venatura, quas voraret: eoque cibi genere oblectata, inſigniter aleretur. *Cælius lib.11. cap.13. A. L.*

A PHARMACHO.

Theophraſt. in ult. de Stirpibus libro: Eunomus, inquit, pharmacopola, cùm aliquot veratri potiones hauſiſſet, non eſt purgatus. Et quadam die re cum idem artificium exercentibus compoſita, ſedens in foro, ad XXII. potiones ebibit, neque tamen à ſuis vaſis ſurrexit. Tum verò abiit lotum atque cœnatum, uti adſolebat: neque vomuit. Hoc ille faciebat, longa conſuetudine ita paratus, cùm ab exiguis ad tantum eſſet potionum numerum progreſſus. *Apoll. de Hiſtor. mirab.*

A VULNERE INVULNERABILES.

Talum narrant fabulæ, à Vulcano ex ære fuiſſe fabrefactum, Minoique domo miſſum ad Cretenſis inſulæ tutelam. Erat autem illi unica duntaxat vena, eaque à ſumma cervice ad imos uſque talos porrecta. Priuſquam in Cretam perveniret, in Sardiniam acceſſiſſe: quumque à Sardiniis in Cretam tranſmittere vetaretur, illum in ignem deſiliiſſe, & Sardinios pectori ſuo admotos necare ſolitum. Emoriebantur autem velut
D in amplexu, ac ridentibus adſimiles, nimirùm rictu incendii vi diducto. Hinc proverbium ortum, Sardinius riſus. Ter in ſingulos dies Cretam inſulam obibat, excubias agens. Itaque & Argo navem è Colchide cum Jaſone redeuntem vetuit in portum Cretenſem appellere. Sed à Medea deceptus periit, ut nonnulli dicunt, dato veneno, quod inſaniam immitteret; ut aliis placet, cùm illa pollicita ſe illum immortalem reddituram, clavum qui ſummæ venæ erat affixus, eduxiſſet, atque ita ſanguine totoque corporis humore defluente periit. Rurſum alii tradunt, interiiſſe percuſſum arcu à Pæante circa talum. *Eraſm. in Adag. ex Zenodoto.*

Cæneus Elati filius (ſive Atracis, ut *Nicand. lib.2. Alteratorum* ſcribit) Lapitharum Rex, è puella Cænide converſus eſt in virum, annuente Neptuno, quem ad coitum admiſerat. Cui illud etiam donatum eſt, ne ſaucius ullis vulneribus fieri, ferrove occumbere poſſet; quemadmodùm refert Ovidius XII. Transformationum libro. Ferunt hunc certaſſe cum Apolline. Præterea morem huic fuiſſe, ut qui ad ſeſe venirent, juberet per ſuam haſtam jurare. Enarrator Apollonii Argonauticon primo, & Euſtathius in primum Iliados. Fixo in medio foro jaculo, præcepit Diis, ut illud venerarentur. Qua ferocia offenſus Jupiter, quum bellum gereret cum Lapithis, Lapithæ E quercus & abietes in eum jaculantes dejecerunt illum in terram. Juxta fidem hiſtoriæ, Cæneum Theſſalum quempiam ajunt fuiſſe, rei bellicæ cum primis peritum, adeò ut cùm multis præliis interfuiſſet, nunquam vulnus acceperit. Denique cùm Lapithis auxilium ferret adverſus Centauros, deprehenſus ſolus, ab hoſtium multitudine obrutus eſt, citraque corporis vulnus extinctus. Itaque Lapithæ, cadavere integro reperto, ſparſerunt rumorem, Cæneum in omni vita invulnerabilem fuiſſe. *Eraſm. in Adagiis.*

Achillem Jovis filium, ut ſcribitur *Iliad.10.* Thetis mater, ut à Jove accepit, fato duplici natum, aut longa vita, ſed mortali fama: aut vita futurum brevi, verùm curſu gloriæ ſempiterno: protinùs natum Stygiis demerſit undis, ut invulnerabilis eſſet, præter calcaneum, quo eum tenebat: tradiditque puerum fratri ſuo Chironi Centauro erudiendum. In eam partem Paris directa ſagitta, eum inter ſacra interfecit. *Homer. in Iliade.*

Ajacem Telamonium tradunt reliquo corpore invulnerabilem fuiſſe, ſola axilla excepta: propterea quòd Hercules cætera corporis membra leonina pelle involuerit, illam verò non, F quòd ſcilicet pharetram ibi geſtaret. *Svidas Iliad.* ✠ *Ovid. in Ibin*:

Mens quoque ſic furiis vecors agitetur, ut illi,
Vnum qui toto corpore vulnus habet.

Haraldus, Danorum Rex, ab Othino dæmone, qui Upſalæ colebatur, obtinuit, ut armis invulnerabilis eſſet. Ipſe viciſſim Othino animas eorum quos occidiſſet pollicitus eſt. *Saxo lib.7.*

A SERPENTIBUS.

Tentyritæ inſulam in Nilo inhabitant, ſtatura parvi, qui ſoli cum crocodilis congredi audent. Flumini innatant, dorſoque equitantium modo impoſiti, hiantibus reſupino capite ad morſum, addita in os clava, dextera ac læva tenentes extrema ejus utrimque, ut frenis in terram agunt captivos: ac voce etiam ſola territos, cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaque uni ei inſulæ crocodili non adnatant: olfactuque ejus generis hominum, ut Pſyllorum ſerpentes, fu- G gantur. *Plin. lib.8. c.25.* Cùm crocodili Romam allati eſſent, ut viderentur, Tentyritæ eos ſequebantur. Facta eſt illis piſcina quædam, & foramen in uno laterum, ut ex aqua in apricum egredi poſſent. Tentyritæ aderant, qui eos interdum rete educebant ad ſolem, ut à ſpectatoribus viderentur: interdum in aquam intrantes, rurſum eos in piſcinam retrahebant. *Strabo lib.27.*

Hexagonus legatus Ophiogenum (qui populi ſunt in Cypro) quum Romam veniſſet, ibique de herbarum viribus multa diſſereret, volens conjectus eſt à Conſulibus in dolium plenum ſerpentibus experimenti cauſa, ubi ſerpentes ſuis eum circummulſere linguis. *Plin. lib.28. c.3. & lib.7. c.2.*

Scribit Avicenna, tempeſtate ſua vixiſſe hominem, quem fugerent venenata omnia, morientibus omnibus, quæ fortè mordicùs eum apprehendiſſent, inde nil omninò læſum. Quum verò grandior admota foret ſerpens, bidui quidem induxiſſe febrem, cæterùm defeciſſe ipſam.

H

* Impatientia.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

Impatientia, ἀτλισία, eſt tanta animi timiditas & teneritudo, ut nihil omninò duri, & acerbi ſenſus pati poſſit, ac ne ea quidem quæ vulgò cæteri homines patiuntur ac ferunt. De ac *Pauſ. lib.4.*

Et ita natura comparatum, ut homines moleſtè, ſupra quàm dici poſſit, ferant, ſi videant rerum eventa virtuti non reſpondere.

EJUS INCOMMODA.

Impatientia turbat animum, præterita bona delet, præſentia inficit, futura impedit. *Facin. ep. lib.1.*

Impatientia ſola facit, ut adverſa, quæ ad externa & corpus tantùm pertinere poſſunt, inanimum quoque pertranſeant. *Ibid. lib.5.*

Nata-

A Natales impatientiæ in ipſo diabolo deprehendo, jam tunc cum Dominum Deum univerſa opera quę feciſſet, imagini ſuę, ideſt, homini ſubjeciſſe, impatienter tulit. Nec enim doluiſſet, ſi ſuſtinuiſſet: nec invidiſſet homini, ſi non doluiſſet. Adeò decepit eum, quia inviderat. Inviderat autem, quia doluerat. Doluerat, quia patienter utique non tulerat, &c. *Tertul. lib. de patientia.*

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

Agar ancilla Saræ non ferens correptionem dominæ ſuæ, quæ affligebat eam propter ipſius ſuperbiam, fugam inivit, ſed ad mandatum Angeli rediit. *Geneſ.16.*

Præpoſiti filiorum Iſrael dixerunt Moyſi, & Aaron: Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone, &c. *Exod.5.*

Videntes Ægyptios Filii Iſrael, dixerant ad Moyſen: Forſitam non erant ſepulchra in Ægypto, ideò tuliſtis nos, ut moreremur in ſolitudine? *Exod.14.*

Prima murmuratio filiorum Iſrael in deſerto fuit pro defectu potus. Murmuravit populus contra Moyſen, dicens: Quid bibemus? &c. *Exod.15.*

B Deinde pro cibo murmuravit omnis congregatio filiorum Iſrael, dicens: Cur induxiſtis nos in deſertum, ut occideretis omnem multitudinem fame? Iterùm murmuravit poſtquam miſerat Dominus coturnices & manna, præ ſitis anguſtia. *Exod.16. & 17.*

Videns populus, quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus adverſus Aaron, ait: Surge, & fac nobis Deos, qui nos præcedant. *Exod.32.*

Ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium præ labore contra Dominum; & accenſus eſt in eos ignis Domini, & devoravit extremam caſtrorum partem. Et nota perverſitatem illorum dicentium: Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis; cum ita carè emerant. *Num.11.*

Cùm patiebatur populus famem in deſerto, cum murmure & impatientia recordabatur carnium, quas comederat in Ægypto. Sed de duriſſima ſervitute, qua opprimebatur, non faciebat aliquam mentionem. *Eodem.*

Poſt terribilem mortem Chore & complicum ſuorum, multitudo murmuravit contra Moyſen, & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini. *Num.16.*

Rurſus propter defectum potus & fructuum murmuraverunt & jurgati ſunt filii Iſrael contra Moyſen, ad aquas contradictionis. *Num.20.*

Videns Achitophel, quòd non fuiſſet factum juxta conſilium ſuum, in tantum impatiens fuit, quòd receſſit ab Abſalone, & abiens in domum ſuam, ſuſpendio interiit. *2. Reg.17.*

Quia duriùs loquuti ſunt filii Juda cum aliis decem tribubus, ſeparatus eſt Iſrael à David, & ſecutus eſt Sebam filium Bochri. *2. Reg.19. & 20.*

Cum dixiſſet Tobias de hœdo, quem balantem audivit: Videte, ne furtivus ſit: uxor ejus impatienter reſpondit. *Tob.2.*

Sara filia Raguelis unam de ancillis ſuis pro culpa increpabat, & illa nimis injurioſè reſpondit, dicens: Ampliùs ex te non videamus filium aut filiam ſuper terram, intefectrix virorum tuorum. *Tob.3.*

Nuntiatum eſt Holoferni, quòd filii Iſrael præparaſſent ſe ad reſiſtendum; & furore nimio exarſit in iracundiam magnam. *Judith.5.*

Item cum ceſſaſſet loqui Achior, indignatus eſt Holofernes
D vehementer. *Ibid.*

Pro eo quòd Mardochæus noluit adorare Aman, ita ille indignatus & impatiens fuit, quòd viſus eſt procurare mortem ejus, & omnium Judæorum. *Eſth.3.*

Videns Elihu filius Barachel, quòd amici Job diſputantes cum eo, non poterant eum convincere, oſtendit multa ſigna impatientiæ verbis ſuis. *Iob.2.3.*

Audiens Nabuchodonoſor, quòd ſocii Danielis auream ſtatuam quam fecerat, adorare nolebant, in ira & furore eos coram ſe adduci præcepit. *Daniel.3.*

Audiens Herodes natum eſſe regem Judæorum, turbatus eſt, & omnis Jeroſolyma cum illo. *Marc.2.*

Diſcumbente Domino in domo Matthæi, murmurabant Scribæ & Phariſæi dicentes ad diſcipulos ejus: Quare cum peccatoribus & publicanis manducatis? *Luc. Matth.9. Marc.2.*

Similiter habet *Luc.15.* Erant appropinquantes ad Jeſum publicani & peccatores.

Item de Zachæo murmurabant, dicentes: Quia ad hominem peccatorem divertiſſet. *Luc.19.*

Frater filii prodigi audiens feſtum, quod faciebat pater ado- E leſcentiori filio revertenti, indignatus eſt, & nolebat introire. *Luc.15.*

Videntes Principes Sacerdotum & Scribæ miracula quæ Dominus faciebat, & pueros clamantes: Hoſanna filio David, indignati ſunt, &c. *Matth.21.*

Phariſæi videntes ſe per illum cæcum natum, à Domino illuminatum, verbis efficacibus confutari, maledixerunt ei, & dixerunt: Tu diſcipulus ejus ſis; &, In peccatis natus es totus, & doces nos? *Ioan.9.*

Factum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos, eò quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum, &c *Act.6.*

HISTORICA.

Anno 1590. Treviris acceptam Adoleſcens injuriam, cum inſigni rerum jactura, à quibus minimè debebat, ferebat iniquiùs quàm Chriſtianum deceret: ita dolore atrox & mœroris immodicus, cum ſub crepuſculum ſolus obambulat, dæmonem haud occaſionum ignarum aut ſegnem, obvium ha- F buit, effigie viri nobilis, atro colore. Exhorruit primùm, ſed ſalus dicta timorem dempſit. Quærenti cauſam triſtitiæ, reſpondet quod erat; tum dæmon præciſam omnem ſpem recipiendæ pecuniæ per validiorum potentiam interverſæ, proin ſe ſequatur compenſaturum omnia levi negotio: cui adoleſcens, A notis mihi, & ab amicis imponitur, & habebo fidem ignoto, & quem nunc primùm aſpexi? bone Deus! Hoc extremo dicto, velut fulminatum monſtrum hominis in auram ceſſit. Poſtridie eadem hora idem agitanti, offert ſe mulier amœno cultu, orat breve ſpatium ſecreti receſſus: abnegat juvenis, inſtantem repellit. Exin ſuadet illa proferat è cubiculo gladium & in adverſum parietem impingat: recuſat principio, demum, neſcius quid ageret (aut cura abſtulerat mentem) morem gerit, inter feriendum parietem, Deus benè vertat, exclamat: hoc quoque ſecundum fulmen dæmonem abegit. Rediit & tertiò (hærebat enim adhuc infixa animo ſolicitudo, & pellex non deſerebat) mulierem aſſimulat pollentem ætate ac forma: in ſtuprum illicit laſciva voce, geſtuque, nec ſe continet intra verba, vim adfert renitenti: vociferatur juvenis, opem implorans: accurrentibus ſubitò domeſticis improba facies evanuit, G at ipſe confectus laſſitudine, linquente animo repertus: rogatus timoris cauſam & clamoris, ne hiſcere quidem, adeo jacebat rigentibus oculis exanimatus, per metum etiam voce amiſſa: igitur collocatur in lecto ac refovetur, ſimulque revocatur animus aſperſu aquæ piacularis: poſtridie rem omnem exponit, & noſtrorum ſuaſu ſacris myſteriis conſecrata cera, cæteriſque armis formidatis diabolo inſtructus, ita perterrefecit adverſarium, ut apparere deſierit. *Bencius in litteris Rhenanis dicti anni. Delr. diſq. mag. lib.6. c.2. ſeq.3. q.3.*

☞ *Illuſtrabitur præſens Locus, ex aliis Locis de Murmuratione, & Patientia.*

Impedimentum.

Impedimentum, Græcè ἐμποδισμα κόλυμα, eſt, quidquid in cauſa eſt, quo minùs aſſequatur quod fieri deſiderat, aut quo minùs quidquam fiat.

IMPEDIRE ALIUM.

Circa Quid.

Vtputa Venerem.

Cercopas, Lydius Hercules, quòd ſibi cum Omphale cu- H banti, petulantiùs obturbarent: amicæ juſſu vinctos de clava ſuſpendit. Unde κερκωπίζειν, obſtrepere, obturbare. *Eraſmus in Adagiis.*

Acroaſin.

C. Plinius, cum recitatorem quemdam perperam pronunciantem amicorum quiſpiam revocaſſet, & ut repeteret juſſiſſet: Quid, inquit, an intellexeras? Quum ille annuiſſet: Cur ergo, inquit, revocabas? Decem amplius verſus iſta tua interpellatione perdidimus. *Eraſm. lib.8. Apoph.*

Iter.

Spitigneo II. Boemorum Principi, equitanti occurrit quædam vidua, rogans, juſtitiam ſibi adminiſtrari. Expectare princeps illam, dum reverteretur, jubet. Contrà illa, moram hanc ſibi periculoſam allegat, quoniam vadimonium in proximam horam conſtitutum ſit. Ablegat illam Princeps ad alios judices ordinarios. At illa exclamat: Illum, non alios, ſibi à Deo conſtitutum eſſe judicem. Ergo ab equo deſcendit, cognitionique ampliùs duas horas vacavit. *Dubrav. lib.8.*

QUO-

A
QUOMODO.

Voce. Interpellare.

Philippus Macedo, cum paupercula anus poſtularet, ut ipſe de cauſa ſua cognoſceret, eumque identidem interpellaret, negavit vacare ſibi. Ibi vociferans anus: Ergo noli, inquit, regnum agere. Quo ille dicto defixus, non iſtam modò, verùm etiam alios confeſtim diligenter audivit. *Plut. in Apoph.*

Facto. Interturbare.

Cyrus Rex Perſarum, relaxata aliquantùm captivitate Judæorum, quinquaginta millia hominum ex eis ad inſtaurandum templum regredi fecit. A quibus prima cœpta fundamenta, & altare conſtructum eſt. Incurſantibus autem hoſtibus vicinis, & præſertim Samaritanis, dilatum opus fuit uſque ad Darium. *Auguſt. lib.18. de Civ. Dei, cap.26.*

NON IMPEDIRE.

P. Piſo, Orator, interpellari nolens, præcepit ſervis ſuis, ut ad quæſita reſponderent, nihil prætereà loquerentur. Poſt cùm conſulem Clodium demereri vellet, imperavit eum invitari: & magnificum, ut fit, epulum paravit. Inſtante hora, cæteri aderant, Clodius exſpectabatur: miſitque ſæpiùs ſervum ſuum B vocatorem viſum, veniretne. Veſpera jam, cum ſpes non eſſet venturum: ibi famulo: Quid, inquit, vocaſti eum? Ego verò, infit. Quin igitur venit? Ibi ille: Nempè negavit. Cur ergo id non illicò dixiſti? Quia non rogaſti hoc. *Plut. de Garrulitate.*

---

* Imperator. Imperium.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

IMperium, Græcè ἡγεμονία, & ἐπιτάσσω Impero dicitur. Eſt autem Imperium actus rationis ordinantis, cum quadam motione ad aliquid agendum. *S. Thom. prima ſecundæ q. 17. art.5.* Dicitur autem ab Impero, as.

Imperatores, ait *Cicero* 14. *Philipp.* appellandi ſunt, quorum virtute & conſilii felicitate, maximis periculis ſervitutis, atque interitus liberati ſumus.

Cæterùm Imperator, propriè dicitur, qui exercitui præeſt, ſuiſque auſpiciis bellum gerit. Græci Stratagum vocant, στρατηγὸν ἡγεμόνα; στρατάρχην, στρατηλάτην. Romano more Impe- C ratores dici cœperunt, qui acie hoſtem fudiſſent. Deinde qui Reipub. præeſſent ſummo jure, cæteris magiſtratibus legem dicerent, exercitibus imperarent, reges inſtituerent, aut iis jus regni eriperent.

Quis primus Imperator appellatus?

Primus omnium Julius Cæſar perpetuus Imperator dictus, ſibi aliorum magiſtratuum jus & auctoritatem adrogavit.

Augustus quidem idem jus ſenatuſconſulto tenuit, ſed ad X. annos; quibus peractis, Imperium renovari ſenatus auctoritate voluit.

Tiberius à ſenatu Imperium accepit.

Primus Claudius à militibus Imperator eſt renunciatus, penes quos deinde Imperatores creandi poteſtas manſit, ſi legitimus Imperii hæres deſideraretur. Quanquam & hic variatum ſubinde, cum milites à Senatu interdum Imperatorem poſtularint, interdum ipſi militari ſeditione creaverint. De quo videatur *Diod. lib.*43.

IMPERATORUM TITULI, EPITHETA.

Tituli Imperatorum à Julio & Auguſto fluxere, ut conſtat D ex veteribus inſcriptionibus. Sic legimus Imper. Cæſar. D. Julii F. Auguſt. Pont. Max. Conſul. decimumquartum, Imperator xx. Tribunitiæ poteſtatis xxxvIII. Pater patriæ. Unde *Plin. in Panegyr.* dicit, Trajanum Imperatorem titulis, imaginibus, & ſignis. Mos autem invaluit, ut titulis aliis etiam inſererentur virtutes, quibus maximè præcellebant. Sic dicitur Conſtantinus Imper. fidelis, manſuetus, maximus: imò & nomina regionum quas ſubjugarant, ornabant Imperatores quomodo vocabatur Germanicus, Hunnicus, Britannicus, &c.

Etiam Imperatores dicti Domini, quòd legibus ſoluti.

Cæſares ſive à cæſarie, ſive capillitio propendente, ſive à cæſo elephante, ſive quòd cæſo matris ventre natus fuiſſet primus Julius. ☞ *Vide Locum de Cæſaribus, in lit. C.*

Appellati quoque Divi, quòd poſt mortem, ait Iſidorus, nomen Deorum obtinerent. Imò & Dei ſubinde appellati, ut notat *Cyril. lib.12.c.20. Lactant. lib.1.c.15.* Aræ & templa illis dedicata, & decreta. *Diod. lib.*51. ac Julio primùm Romæ templum dedicatum fuit. *Idem Diod.*

Augusti etiam vocabantur, quaſi aucti, unde & Monarchę E quamvis Tiberius illud nomen repudiaret, alii tamen aſſumpſere.

Poſt Antoninos Pium & Marcum, Imperatores Antonini appellari cœpere uſque ad Maximinum, poſt quem iterum Auguſti nomen reſumpſerunt.

Flavii etiam plures fuere, atque ipſe Conſtantius & Conſtantinus Flavii appellati: idque à Clodio Flavio, quamvis alii à Flavio Conſtantino malint: duravit hic titulus uſque ad Juſtinum ſecundum: Imperatores nuncupati Fœlices. *Proſp. Aquit. de providentia.*

Fœlices dici mos eſt, quos blanda poteſtas
In ſummos apices tumidorum evexit honorum.

Nomen Plinio, Sidonio, & aliis uſitatum.

Sereni, teſte *Evagr. lib.3. c.17. Ammianus lib.* 30. hoc elogio exornat Antoninum Pium. *Caſſiod. lib. 1. ep. 4.* Theodoricum: alii alios, quomodo noſtra ætate Veneti ſuum Ducem Sereniſſimum appellant.

Pii: quod nomen Antoninus Hadriani ſucceſſor primus aſſumpſit: vocati hoc nomine, quòd ſubditos patria pietate foverent. Meliori jure Pii vocati Imperatores Chriſtiani, quòd F Dei honorem & Religionem tuerentur, ejuſque cultum promoverent, ipſi quoque per ſe pietatis exempla ſubditis præberent. Quomodo Theodoſius Arcadii filius, diluculo alternis cum ſororibus hymnos canebat, teſte *Socrate lib. ult.* Marcianus pedibus Litanias obibat. Theodoſius Junior 4. & 6. feria Paraſceves jejunabat. Certè inter omnes Principes, qui jurè illud nomen ſibi vendicarunt, fuit nuper *Albertus Auſtriacus* Belgicæ noſtræ Princeps, verè pius, pacificus, patriæ pater, relictis in hiſce Provinciis, quaſi infinitis pietatis ſuæ in Deum & Sanctos teſtimoniis: pietatis titulo apud ſeram poſteritatem clareſcet.

Sed & Optimi, Maximi, Celſi, & jam inde à Tiberio Germanici, à Bellicoſa illa gente, quæ nunc Bacco potiùs, quàm Marti ſe devovet; Domini, quamvis nonnulli hunc titulum averſati, quòd Diis hoc nomen adſcribendum dicerent; primuſque Caligula illud ambivit, & Domitianus: Imperatores vocati fuere.

Triumphatores quoque & Victores Imperatores plerumque indigitantur. Quòd enim eorum auſpiciis bellum gereretur, ideò triumphabant, ait *Nazarius in Paneg.* G

Prudentius pleroſque Imperatorum titulos complexus eſt his verſibus:

Caput Auguſtum diademate cinxit
Appellans patrem patriæ, populi atque Senatus
Rectorem, qui militiæ ſit auctor, & idem
Dictator, Cenſorque bonus, morumque Magiſter,
Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum.

De Imperatorum electione, creatione, ejuſque ritu, & ceremoniis: item coronatione aliiſque eo facientibus, ſcripſit eruditum commentarium Iulius Cæſar Bulingerus, ad quem Lectorem curioſum remitto: nos pro inſtituto hujus operis ad alia progredimur. Interim legatur etiam Locus de Honore, & Gloria in præſenti opere, ubi nonnulla in hanc rem ſparſim adferuntur.

*IMPERATORUM, ET IMPERIORUM VIRTUTES REQUISITÆ, DICTIS FACTISQUE Sapientum adſertæ.

ITEM IMPERIORUM, ET IMPERATORUM CONDITIO, QUALIS. H

utputa. Servilis, oneroſa, difficilis.

In ſummo Imperatore quatuor hæ virtutes ineſſe debent, Scientia rei militaris, Virtus, Authoritas, Felicitas. *Pro lege Man. Cicer.*

Hæ ſunt virtutes Imperatoriæ, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo. *Pro leg. Man.*

Non ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt; ſed multæ ſunt artes eximiæ, hujus adminiſtræ, comiteſque virtutis. Primùm quanta innocentia, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, fide, felicitate, ingenio, & humanitate, Imperatores eſſe debent! *Pro leg. Manil.*

Refrænet primùm libidines, iracundiam teneat, ſpernat voluptates, coerceat avaritiam, cæteras animi labes repellat tum incipiat aliis imperare, cum dedecori & turpitudini parere deſierit. *Parad.5.*

Non

A Non poteſt exercitum is continere Imperator, qui ſeipſum non continet: frugi hominem dici non multum laudis habet in Rege, fortem, juſtum, ſeverum, gravem, & magnanimum, largum, beneficum, liberalem, manſuetum, hæ ſunt regiæ laudes. *Pro leg. Man. pro Rege Dejot.*

Aſſueſcat Imperator cum Imperio calculum ponere: ſic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus: edicat, quid abſumpſerit. Ita fiet, ut non abſumat quod pudeat dicere: præterita futuri pincipes, velint, nolint, ſciant. *Plin. Panegyr. ad Trajan.*

Quis meliùs quàm gravis imperat, quis meliùs quàm literatus imperat? ſcit quemadmodum imperare debeat, qui alios principes pertulit, & qui de aliis principibus judicavit. *Fl. Vopiſ. in Tac.*

Nihil eſt difficilius quàm benè imperare: nam quiſque pro voto de principe loquitur. *Pont. Lat. in Diocl.*

Saturninus ſuis dicebat: Neſcitis, amici, quid mali ſit imperare. Gladii & tela noſtris cervicibus impendent, imminent haſtæ undique, undique ſpicula, ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur; non cibus pro voluptate, non iter pro B authoritate, non bella pro judicio, non arma pro ſtudio. Adde quòd omnis ætas in Imperio reprehenditur. Senex eſt quiſpiam? inhabilis videtur: ſin minùs, ineſt furor. Nam quòd Imperatorem me cupitis, in neceſſitatem mortis me trahitis. Sed habeo ſolatium mortis, ſolus perire non potero. *Fl. Vopiſc. in Saturn.*

Diocletianus Princeps, jam privatus dicebat, nihil difficilius eſſe, quàm benè imperare. Colligunt ſe quatuor vel quinque, atque unum conſilium ad decipiendum Imperatorem capiunt, dicunt quod probandum ſit: Imperator, qui domi clauſus eſt, vera non novit: cogitur hoc tantùm ſcire quod illi loquuntur: facit judices quos fieri non oportet, amovet à Republica quos debebat retinere. Quid multa? bonus, cautus, optimus venditur Imperator. *Fl. Vopiſc. in Diocl.*

Longè optimum, ac firmiſſimum id eſt Imperium, quod beneficiis non ſuppliciis ſubditos in officio continere ſolet: Illorum enim benevolentia, horum verò timor eſt comes. Quicquid autem eſt formidabile, id neceſſitate naturali omnibus eſt maximè exoſum. *Carol. Paſchal. in axiom. Polit. ex annal. excerpt.*

C Qui mutato Reip. ſtatu ipſe Imperium adeptus eſt, is illud ita confirmare debet, ut nulla in poſterum ratione labefactari poſſit; quibus artibus eò pervenitur, earum hæc videtur eſſe potiſſima, nempè, ut tanquam ſi ſua etiamnum maneat libertas Reip. nec ipſe ſtatutum habeat, ſuſcipiat Imperium: nec ne ipſos veteris Reip. Magiſtratus retineat: eorum opera, & miniſterio omnibus in rebus utatur, ac ſi non ipſe Rempublicam pro arbitratu regat, ſed nihil non ab illis quorum jus, & poteſtas eſt, adminiſtretur. Sed antequam hoc agat, debet majores Magiſtratus, atque adeò primores omnes ſibi, omni quacumque ratione poteſt, devincire, & præſtare, ut in ſua verba jurent. Quippè ſatis conſtat, fore, ut cum hoc ſacramento adegerit, rerum planè omnium, nullo adverſante, potiatur: cùm ſuum Imperium veteris Reip. forma & imagine prætexet. *Carol. Paſchaſ. in axiom. Polit. è Taciti annal. excerptis lib.*1.

Pericles, quotieſcumque belli dux creatus eſſet, chlamydem induens, apud ſe dicere conſuevit: Attende Pericles, quòd geſtaturus es Imperium in liberos, in Græcos, & in Athenienſes. His dictis ſe vir cordatiſſimus hortabatur, ut moderatè D gereret principatum. Magni ingenii eſt, imperare liberis: at Græci plus quàm liberi tum erant: poſtremò inter Græcos liberrimi Athenienſes. *Plut. in Apopht.*

Plato Remp. ſalvam eſſe putabat, in qua aut philoſophi imperarent, aut principes ſapientiæ ſtudio incumberent. *Lib. de Repub.*

Timotheus, quærenti, Quid inter imperatoriam artem & oratoriam diſcriminis eſſet? Idem reſpondit, quod inter bellum & pacem. *Stob. ſerm.*52.

Plistarcus Leonidæ filius cuidam roganti, quam ob cauſam reges Lacedæmoniorum non à priſcis regibus cognomen ſortirentur? Quoniam, inquit, illi ducere quàm regnare maluerunt: poſteriores illis nequaquam. Primus omnium regum Lacedæmoniorum Agis dictus eſt, & hoc nomen in aliquot poſteriores dimanavit: Agidis autem nomen dictum eſt à ducendo, quoniam clementer imperabat: & regum eſt perſuadere potiùs, quàm imperare: Pliſtarchus autem ſonat, plurimis imperantem. *Plut.*

Apollonius rogatus à Babyloniæ rege, quomodo tutò regnare poſſet? Si multos, inquit, honoraveris, paucis verò credideris. *Bruſ. lib.*3.

Alcamenes Telecris filius, cuidam percontanti, quo pacto E quis optimè regnum ſervare poſſet? Si lucrum, inquit, non magni fecerit. Longe latèque diſſentiens à vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum conſtabilire ſtudent, quàm attenuandis civium, ſuiſque augendis opibus: quum juſtitia & æquitas maximè reddant diuturnum Imperium. *Plut. in Lacon.*

Agis à quodam interrogatus, quod diſciplinæ genus potiſſimum exercitaretur apud Spartianos? Scire, inquit, Imperare, & ferre Imperium. *Idem.*

Idem apud Mantinæam quibuſdam diſſuadentibus, ne cum adverſariis, quòd numero plures eſſent, confligeret: Agis ſenior: Cùm multis, inquit, pugnet oportet, qui multis vult imperare. *Idem.*

Agesilaus interrogatus, quas res Imperatorem habere oporteat? dixit: Adverſus hoſtes audaciam, erga ſubditos benevolentiam, in opportunitate verò rationem & conſilium. *Stob. ſerm.*52.

Cyrus dicebat, neminem debere ſuſcipere principatum, niſi eſſet melior his in quos ſuſciperet Imperium. Senſit vir prudentiſſimus, hoc eſſe principis munus, ut aliis proſpiciat, & pu- F blicis commodis conſulat: id autem fieri nequaquam poteſt, niſi ab eo qui ſapientia, vigilantia, animique integritate cæteris antecellit. *Plut. in Apopht.*

Idem dicere ſolebat, principem non debere inferiorem eſſe intelligendo, quæ opus ſunt cæteris. *Xenoph. in lib.7. Pædiæ Cyri.*

Quum Eumenes rex Romam veniſſet, & à ſenatu honorificè exceptus, clariſſimorum civium frequentia ſtiparetur: Cato non diſſimulabat, tantum Romanorum erga illum ſtudium ſibi ſuſpectum eſſe, ipſe vitans regis conſuetudinem. Hoc quibuſdam admirantibus, ac dicentibus, Eumenem eſſe virum probum, ac amico in populum Romanum animo: Sint iſta vera, inquit, attamen illa bellua natura ferox canis eſt. Sentiens omnes reges, utcumque pro tempore ſimulent, natura tyrannos eſſe, ac Democratiæ infenſos. Romæ autem regis nomen erat inviſiſſimum. *Eraſm. lib.5. Apoph.*

Antiochus quum à L. Scipione ultra Taurum montem ſubmotis Imperii finibus, Aſiam provinciam vicinaſque ei gentes amiſiſſet, gratias egit populo Romano, quòd magna parte curarum per eos liberatus eſſet. Intellexit vir prudens, unius G hominis animum, quamvis vigilantem, non poſſe tot negotiis parem eſſe. *Ibid.*

Antigonus videns filium ſuum violentiùs & immodeſtiùs ſe gerere erga ſubditos: An non, inquit, noviſti fili, noſtrum regnum eſſe nobilem ſervitutem: Atque hæc Antigoni verba, quibus filium alloquutus eſt, maximam manſuetudinem & humanitatem præ ſe ferunt: qui id non approbat, is verè mihi videretur, neque regem, neque civem noſſe, ſed tyrannicam vitam potiùs agere. *Ælian. lib.2. de var. hiſt. ex Plutarch.*

Scipio Africanus, quibuſdam calumniantibus, quòd parùm ſtrenuus bellator eſſet: Imperatorem, inquit, me pater, non bellatorem genuit. Significans, in Imperatore plus habere momenti ſolertiam ac prudentiam in conſiliis, quàm vires in præliis. *Plut.*

M. Cato Senior, Imperatorem laude dignum, & ab omnibus extollendum putavit, qui ſibi ipſi imperare poſſet. *Plut. in Apopht.*

Cicero, in ſummo Imperatore bellique duce quatuor res debere ineſſe dicebat, Scientiam rei militaris, virtutem, aucto- H ritatem, & felicitatem. *Cic. in oratione pro Pompejo.*

Ovinius Camillus, antiquæ familiæ ſenator, homo delicatiſſimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem affectans. Id quum Alexandro Severo renunciatum eſſet, ſtatimque probatum, ad palatium vocato gratias egit, quòd Reipublicæ curam, quæ bonis viris recuſantibus imponi ſolet, ſponte reciperet. Mox ad ſenatum proceſſit, ac tanti ſceleris conſcientia trepidum, conſortem Imperii appellavit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus, & melioribus, quàm utebatur ipſe, decoravit, profectionibus comitem adhibuit. Cumque Imperator ipſe pedibus iter faceret, invitavit & Ovinium deliciis aſſuetum ad laborem; quem poſt quinque millia paſſuum cunctantem equo ſedere juſſit. Quumque poſt duas manſiones equo etiam fatigatus eſſet, carpento impoſuit. Hoc quoque reſpuentem, ac Imperium tædio laborum recuſantem, denique & mori paratum dimiſit, ac militibus, à quibus Cæſar præcipuè diligebatur, commendatum, ad villas ſuas tutò abire juſſit. Sic illi commonſtravit, quid eſſet gerere Imperium. *Lamp.*

Augu-

A Augustus Cæſar, poſtquam Julio avunculo, crudeliter in ſenatu interfecto, ſucceſſiſſet in adminiſtratione Imperii, ac nequaquam placeret Acciæ matri Philippoque vitrico, adiri nomen invidioſæ fortunæ Cæſaris, reſpondit, Nefas eſſe, quòd nomine Cæſaris dignus eſſet viſus, ſemetipſum videri indignum. Contemnens humana conſilia, & cum periculo potiùs ſumma, quàm tutò humilia ſequi propoſuit. *Vell. Paterc. & Cuſp. in Conſ.*

Augusti temporibus quum eſſet conſultatio de Imperio iterùm abrogando, in ea deliberatione interrogatus Mecœnas quid ſibi videretur? reſpondebat: Regnum juſtum & legitimè recuperatum in primis conducere rerum magnitudini. Quo dicto conſulebat, juſtius eſſe, ut Imperium deponeret Auguſtus, ac Rempublicam reſtitueret in ſtatum priſtinum. *Dion. Nicæus in Aug.*

August. Cæſ. admonebat Romanos, ut Remp. committerent iis, qui uſu & experientia rerum plurimùm poſſent; nec eam ſinerent ullo tempore pendere ex cujuſquam voluntate, ne fortè is in regni cupiditatem veniret, aut mortuo eo Reſpub. periclitaretur. *Idem.*

B Idem conſulebat prætereà, ut contenti rebus præſentibus, augere, & dilatare Imperium nollent: quod futurum eſſet, ut id tuerentur difficiliùs, immineretque periculum, ne ea quæ jam parta eſſent amitterentur. *Idem.*

Cum ſub Nerva Coccejo, Romæ impromiſcuè omnes ab omnibus leviſſimas ob cauſas accuſarentur, atque inde magnus tumultus exortus eſſet, Frontonem conſulem dixiſſe ferunt, malum quidem eſſe Imperatorem habere, ſub quo nemini liceat quicquam facere: ſed multò pejus eſſe, cum omnia licent omnibus. *Xiphilinus in vita Nervæ, & Fulgoſ. lib. 2. cap. 22.*

Domitianus, paucis notum eſſe dicere ſolebat, quàm miſera & ærumnoſa ſit imperantium conditio, qui à tyrannidis falſa ſuſpicione tum demum liberantur, cum diem jam extremum claudunt. *Suet. in Dom.*

Pertinax, cùm poſſeſſionibus Imperatoris nomen ſuum inſcribi prohibuiſſet, dicere ſolebat, illas nequaquam imperantium proprias, ſed communes Romanorum, & publicas eſſe. *Herodian.*

Trajanus juſtitiæ & æquitatis amantiſſimus, talem C Imperatorem privatis civibus ſe eſſe dicebat, qualem ſibi ipſe Imperatorem privatus optaſſet. *Ioan. Langius in Niceph. ann.*

Idem aliquando in convivio propoſuit amicis, ut decem nominarent, quibus crederent rerum ſummam rectè delegari poſſe. Dum illi ſilerent: Decem, inquit, à vobis poſco, ego unicum habeo Severianum. Solum illum Imperio dignum judicans. *Dion. Caſſ.*

Idem, Licinio Suræ, quem quidam ut Cæſaris inſidiatorem indicaverant, gladium nudum porrexit, atque: Accipe, dixit gladium, quem pro me, ſi bene atque cum ratione imperavero, diſtringes: ſin minùs, eo ad interitum utere. *Dion. Nicæus, atque Xiphil. in Trajani vita. Plin. in Paneg. & Niceph. lib. 3. c. 23.*

Valentinianus ſolicitatus à militibus, ut ſibi Imperii ſocium deligeret. Veſtrum quidem (inquit) fuit, ut privatum me ad imperialem extolleretis dignitatem: res autem adminiſtrare, non jam veſtri, ſed principis ipſius arbitrii eſſe, vos ipſi quoque dixeritis. Itaque vos deinceps imperata facere, & quietos eſſe: me autem, quid facto opus ſit, curare decet. *Ni-* D *ceph. Caliſt. lib. 11. c. 1. Eccl. hiſt.*

Antoninus Pius reprehenſus, quòd nonnullos accuſatos abſolveret, reſpondit, principatum non à pœnis aut ſuppliciis, ſed à manſuetudine potiùs auſpicandum eſſe. *Dion. Nicæus, & Xiphilin. in Anton. vita.*

M. Antonius Verus dicere ſolitus erat: Neque pecuniç vim tyrannidis luxuriam explere poſſe: aut ſtipantia ſatellitum agmina tueri principem, niſi ipſi quos regit, animum imperanti benevolentiam accommodent. Quippè ii demum diu tutòque imperant, qui non metum ex crudelitate, ſed amorem ex bonitate civium ſuorum animis inſtillant. Neque enim quos ſævire neceſſitas coegit, ſed quos obtemperare ſua quæque voluntas adegit, ii ſunt in agendo patiendoque à ſuſpicione omni, aſſentationeque vacui; numquamque imperia detrectant, niſi violenter contumelioſèque ſint habiti. *Herod. lib. 1.*

Julianus cum ſenatum Romanorum rogaret, ut virgines Veſtales & cæteri ſacerdotes cum ſenatu obviam exercitui Severi prodirent, prætentis inſulis: Fauſtus Quintillus conſularis augur contradixit, aſſerens, non debere imperare eum qui armis adverſario non poſſit reſiſtere. *Spartian. in Iuliano, & Cuſpin. in Conſulib.* E

Jovinianus, cum poſt Julianum apoſtatam, qui aliquot Chriſtianorum millia interfecerat, ad Imperium raperetur, clamabat: Nolle ſe infidelibus imperare, cum ipſe eſſet Chriſtianus. Cui reſponſum eſt à militibus omnibus, ſeſe quoque Chriſti Dei eſſe obnoxios. *Cuſpin. in Coſſ.*

Pescennius Niger, rogatus, Quid ſentiret de Scipionibus? Reſpondit: Illos ſibi videri felices magis quàm fortes: quòd uterque domi juventutem parùm ſanctè tranſegerat. Sentiens Imperatorem per omnem vitam in Reipublicæ negotiis verſari debere, nec è domeſticis ad Imperium accerſiri. *Spartian.*

Otho ſæpenumerò dicere ſolebat ad ſuos: Neſcitis amici quid ſit, Romanorum gubernare Imperium: mihi credite jam experto, qui jam mori malo quàm imperare. *Suet.*

Sigismundus rogatus, Quem virum regno dignum aptumque exiſtimaret? Eum, inquit, quem neque ſecundæ res extollerent, neque adverſæ deprimerent. *Æneas Silv. lib. 4. comment. de reb. geſt. Alphonſi regis.*

Idem regnandi artis imperitum eſſe dicebat, qui ſimulare neſciret. Innuit autem multa regibus ſimulanda, multa diſſimulanda eſſe, quo ſuos in debito officio retineant, extra omne vitæ periculum. *Æneas Sylv. lib. 3. comment. de reb. geſt. Alphonſ.* F

Æneas Sylvius Principes privatis hominibus multò meliores fore dicere ſolebat, ſi reges electione, & non ſucceſſione fierent. Improbavit vir clariſſimus ſucceſſionem regum, quam uſus, haud ubique meliora ſecutus, recepit: regem enim naſci nihil magni eſt: at regno dignum ſe præſtitiſſe, maximum eſt. *Æn. Sylv. lib. 4. comment. in res geſtas Alphonſi.*

Alphonsus ſæpenumerò peroptare ſolebat, ut popularium ſuorum unuſquiſque rex extitiſſet, quo demùm illi, utpotè experti, cognoſcerent principum occupationes, & curas. Hoc unico forſan modo fieri poſſe, ut deſinerent moleſti & importuni eſſe. Notabat autem, quàm difficile eſſet imperare, cum jam diverſa ſunt hominum ingenia, diverſi mores, quibus principes ſe accommodare neceſſe habent. *Panor. lib. 3. de reb. geſt. Alphon.*

Idem magnum quidem eſſe dicebat, adverſus hoſtes ducem eſſe; ſed illud maximum, ad omnem virtutem civibus ducem eſſe. *Panorm. lib. 4. de Alphon. reb. geſt.* G

Eundem affirmare ſolitum accepimus, ſi nullum omninò aliud regnum, nullam provinciam præter Calabriam aut haberet, aut habiturus eſſet, illam protinùs ſe relicturum, privatumque civem vivere potiùs velle, quam illorum, qui nihil hominis habent præter figuram, ineptias tolerare, quamvis dominum aut regem. Hoc autem dicto oſtendere voluit, quàm grave ſit imperare iis, qui omni humano ingenio exuti nil norunt aliud, quàm luxuriantes, ferarum more, in omni vitiorum ſorde ſe involvere. *Pan. lib. 1. de reb. geſt. Alphon.*

Idem Alphonſus cum de regum Imperatorumque muniis, & regnorum felicitate diſceptarent ſecum familiares, dixiſſe commemoratur: Optimè eam S. Auguſtinus expreſſit his verbis: Reges felices erunt & regna, 1. ſi juſtè imperent. 2. ſi inter linguas ſublimiter honorantium, & obſequia nimis humiliter ſalutantium non extollantur: ſed ſe homines eſſe meminerint. 3. ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, majeſtatis ejus famulam faciunt. 4. ſi Deum timent, diligunt, & colunt. 5. ſi plus amant illud regnum, ubi non timent haberi conſortes. 6. ſi tardiùs vindicant, facilè ignoſcunt. 7. ſi eandem vindictam pro neceſſitate regendæ tuendæque Reip. non pro ſa- H turandis inimicitiarum odiis exerunt. 8. ſi eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, ſed ad ſpem correctionis indulgent. 9. ſi quod aſperè coguntur plerumque decernere, miſericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compenſant. 10. ſi luxuria tantò eſt caſtigatior, quantò poſſet eſſe liberior. 11. ſi malunt cupiditatibus, quàm quibuslibet gentibus imperare. 12. ſi hæc omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, ſed propter charitatem felicitatis æternæ. 13. ſi pro ſuis peccatis, humilitatis, & miſerationis, & orationis ſacrificium, Deo ſuo vero immolare non negligunt. Tales Chriſtianos Reges, & Imperatores dicemus eſſe felices, item & eorum regna. *Ita Ant. Panorm. in vita Alphonſi.*

IMPERII FULCRUM, PIETAS IN DEUM, ET RELIGIONIS CULTUS.

Helcias abjectum in angulo inveniens Deuteronomium attulit illud ad Joſiam, qui magna religione illud excepit, legit, & adimplevit: itaque Rempublicam Hebræorum cum reli-

A gione reſtituit, ut patet 4. *Regum 22. & ſequentibus.*

Porrò pii & boni principis effigiem deſcribit *Dav. Pſal. 71. & 100.* item S. Scriptura in David, 2. *Regum 7.* in Salomone, Aſa, Joſaphat, Ezechia & Joſia, *in lib. Reg.* Mira verò fuit vox Conſtantini Imper. qui Epiſcopis ſui ſæculi dicebat: Vos intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam à Deo Epiſcopus conſtitutus ſum; uti refert *Euſeb. lib. 4. vitæ ejus cap. 21.* Pater verò ejus Conſtantius Imper. Chriſtianos qui ſemper liberè fidem profeſſi eſſent, ſtipatores ſuos, & regni cuſtodes, apoſtatis omnibus & profanis ejectis, conſtituit; inquiens, tales in præcipuis & fidis amicis habendos, pluriſque quàm ingentes theſauros æſtimandos eſſe. Ita *Euſeb. lib. 1. vitæ Conſtant. c. 11.*

Denique Juſtinus Imp. creans Tiberium Cæſarem, eumque purpura inveſtiens, dixit ei: Honora Deum & Eccleſiam ejus, olim heram & dominam, nunc verò matrem tuam: noſce quis antea fueris, & quis hodie factus ſis: pauperes in primis dilige, & eleemoſynæ apud te non deficiant. Ita *Niceph. lib. 17. c. 40.*

Convallo pio apud Scotos regnante, mirè floruit apud eos religio & probitas, ita ut S. Columbanus ad eam viden- B dam, ex Hybernia in Scotia trajecerit, ac rediens rogatus, Quænam ibidem vidiſſet miracula, reſponderit: Vidi unum inſtar omnium, regem videlicet Convallum, qui in mediis deliciis & peccatorum incitamentis, cum Monachis & Epiſcopis de ſanctimonia contendit: qua de cauſa ſuis ita eſt reverendus, ut ipſi nec aliis injurii, nec de Rege ipſo hiſcere ſiniſtri quippiam audeant; unde effectum eſt, ut plus regis virtus ferocem populum à ſolitis flagitiis & ſeditionibus, quàm ejuſdem auctoritas coerceat. Refert *H. Boeth. hiſt. Scoticæ, lib. 9.*

☞ *Pete pleraque ex loco de Religione Tit. Religio, & ſacrorum cultus, Imperium conſervat, famam & potentiam auget.*

* IMPERIORUM EXCIDIA, RUINÆ, INTERITUS. Ejusque Causæ.

I. NEGLECTUS RELIGIONIS.

Quando populus Judaicus incipiebat deflectere à via præceptiſque & religione Domini, continuò tyrannos ſibi manus injicere, & ſibi dominari experiebatur.

C Quando Filii Heli & Samuelis reliquerunt Dei cultum, & mandata tranſgreſſi ſunt, amiſerunt principatum.

Perinde ac primus Homo tranſgreſſus præceptum Dei, perdidit imperium in creaturas: ſaltem ſenſit eas ſibi rebelles & contrarias.

Et cum Salomon avertiſſet mentem à Domino, & non cuſtodiſſet præcepta ejus; audivit à Propheta terribilem Dei ſententiam: Quia habuiſti hoc apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi: diſrumpens ſcindam regnum, & dabo illud ſervo tuo. 3. *Reg.* 11.

Cœpit diſceſſio fieri per Judæos à regno ante occupato per genus Machabæorum ferè per centum annos, tempore Alexandri Jannis: qui poſt mortem Ariſtobuli, Alexandram Ariſtobuli viduam cum regno accepit: & fuit hæreticus Sadducæus, & inimicus Judæis verè de fide ſentientibus: ideò crudelis in illos, ex quibus ſex millia occidit, ſeptingentos Phariſæos crucifixit, cæteros in fugam abire coegit: quæ fuit cauſa, quare plebs, quæ ſub eo erat, cœpit tumultuari. Regnavit poſt eum Alexandra: quæ tamen voluit unà Phariſæos & Sadducæos convenire, & pacificè inter ſe vivere: quod non potuit D aſſequi. Quarè regno perturbato, & filiis de Imperio diſputantibus, regnum in Romanorum venit poteſtatem. Conſtantinus Imperator dicebat: Romani Imperii dignitas & amplitudo fontem atque radicem habet, veram pietatem.

Ita regnarunt feliciter pii & religioſi Principes Chriſtiani, Theodoſius, Marcianus, Juſtinus, Juſtinianus, & alii: infeliciter verò regnarunt infideles & impii, Conſtantius, Julianus, Valens, & alii plurimi.

Audi quid de uno Valente ſcribat *Nicephor. lib. 11. cap. 60.* Cum Valens contra Gothos Conſtantinopoli egrederetur, accurrit Iſaacus Eremita, & fræno equi illius arrepto, dixit: Quonam ò Imperator proficiſceris, qui adverſus Deum bella geris, neque tecum illius opem trahis? ille contra te Barbaros excitavit, quia tu impiorum hominum linguas exacuiſti; redde igitur Orthodoxis Eccleſias, quas eis ademiſti; & victor evades: ſi id nolueris, experieris, quàm ſit durum contra ſtimulum calcitrare, & impotentem linguam in cœlum tollere; neque enim ipſe redibis, & perdes quas tecum ducis copias. Valens ira æſtuans: Ego verò, inquit, redibo victor, & dignas à te temeritatis tuæ ſumam pœnas, tuamque prædictionem falſam eſſe oſtendam. Et confeſtim comprehendi hominem, & in cu- E ſtodia aſſervari, donec rediret, juſſit. At ille abductus vociferabatur: Eneca etiam, ſi mendacia eſſe deprehenderis verba mea. Paulò poſt Valens cum ſuo exercitu fœdè periit: ipſeque fugiens ad paludes, in caſa à Gothis concrematus eſt.

Tradit Eginartus Caroli Magni notarius, cum in Oriente Imperatorum incuria hæreſes reciperentur: paulatim collapſum Imperium Orientalem, in Pipinum & Carolum ejus filium translatum fuiſſe. *Ex axiom. Georg. Richteri.*

Et ne veterum commemoratione fatigemur, quid cauſæ ſubeſſe arbitramur, quòd mundo notiſſima ejuſque velut regina Belgica ad tantam devenerit calamitatem, ſuique diſſimilis facta, in rapinam & prædam data ſit omnibus exteris perinde ac indignis? nonne religionis contemptus, & divini cultus neglectus? Ex quo enim Reformatæ, ut nuncupant, Religionis ſemina hìc inſpargi cœperunt, anno videlicet M.D.LXVI. quando nobiliores aliquot, ut plerumque ſolent, pauperiores, adſcitis in ſceleris ſui ſocietatem è trivio aliquot ſcurrarum manipulis (unde nomen Geuſiorum ortum habet è Gallico ſermone) Gubernatricem Mariam Parmenſem exhibito libello quem ſignaverant, ſolicitabant pro libertate conſcientiæ, & per F conſequens, ſcelerum, furtorum, cædium, rapinarum, omniſque quæ ſubſecuta fuit tyrannidis impunitate in bona Eccleſiæ, & miniſtrorum illius avidi; quæ non miſeriarum monſtra exhibita, & quotidie exhibentur? *Videat Lector Hareum canon. Inſulen. de initiis tumult. Belgic.*

Etiam pridem in Germania & Bohemia hæc ipſa cauſa cruentum iſtud bellum tot hominum cædibus, furtis, rapinis, haud ignobile ſuſcitavit, cum Huſſitæ paucis annis ante in clerum & templa inſurrexiſſent, quorum impietas jure repreſſa, & vindicata.

LIBIDO, LUXURIA, INTEMPERANTIA, VOLUPTATES, INJUSTITIA, ET OPULENTIA.

Scribit *Eccleſ. cap. 10.* Propter injuſtitiam transferri regna de gente ad gentem.

Sophocles dicebat, Ubi injuriæ prævalent, & quiſque quodlibet facit, exiſtima illud regnum ruiturum.

Exemplum proponitur in Saule: qui non ſolùm regno, ſed G etiam vita exuitur, partim propter contemptum verbi divini, partim propter commercium cum organis diaboli.

In hoc ſpeculum intuentes Principes & Reges, diſcant juſtitiam, non temnere divos: ſi enim Deus non pepercit primo Regi Iſraelis, ſed eum propter cauſas, quas dixi, hoſtibus trucidandum objecit: quantò minùs parcet aliis, qui ſimilibus delictis polluti ſunt! Semper ergo in auribus gubernatorum ſonet illa vox, quæ in libro Sapientiæ legitùr: Potentes potenter tormenta patientur.

Per Romanos evertit Deus Carthaginenſem Rempublicã, fiducia opum ac potentiæ ferocientem, & bella ſerentem ex bellis, atque infinitam potentiam, ingentes ſpiritus animo concipientem, domi verò luxu ac libidinibus diffluentem: cujus fuerunt opes maximæ. Comitatur autem opes plerumque luxus: luxuriam libidines, ambitio, ſuperbia. Iſta vitia creverunt in Carthaginenſi urbe: & regnavit domi. Et Carthaginenſibus ſuperbia, & dominandi cupiditas injuſta ſæpè arma ſubminiſtravit. Carthaginenſes multis annis arma Romanorum profectò duriter exercuerunt: & ſi numerentur, qui ex parte utraque ceciderunt, reperientur multò plures ex Roma- H nis interfecti, quàm ex Carthaginenſibus. Tandem vicit fortuna populi Romani, & fatum Imperii. Cogitemus de cauſis. Punit Deus Imperia propter idololatrias, tyrannidem, & injurias principum, latrocinia, luxuriam, libidines, ac ſimilia alia flagitia, & ſcelera; quia mutationes Imperiorum, quæ plerumque fiunt armis, ſunt ſine omni dubitatione pœnæ publicorum peccatorum, & privatorum.

Poſteà Deus ſuſtulit per Romanos regnum Macedonicum, & Reges Macedonicos multiplicibus ſceleribus infames: Reges Syriacos, Ægyptios, fractos voluptatibus, contaminatos cum aliis flagitiis, tum inceſtis nuptiis, ſævitia immani in populum Judaicum, toti terrarum orbi nota. Sicut de Antiocho Magno ſcribitur dixiſſe Arſaces Perſicus Rex, quod citatur apud *Athenæum in prim. lib. ex Poſidonio*: Decepit te, Antioche, audacia tua, & ebrietas: quia ſperaſti te Imperium Romanum exhauſturum magnis poculis.

Alexander Magnus Perſicam potentiam ſuſtulit: quæ complexat erat maximam orbis terrarum partem: erat inſtructa ingenti multitudine & robore hominum. Hanc tantam potentiam

tiam penè momento evertit Alexander adoleſcens: & quidem cùm exigua manu militum, quam ex Europa ſecum in Aſiam traxerat: quæ collata ad innumeros exercitus Perſicos planè nihil fuit.

Heraclides in Politiis, dum de Athenienſibus agit, tradit, poſt Codridas, nullos ampliùs Reges electos: eò quòd in mollitiem, & luxum delapſi eſſe viderentur.

Refert & in Cophalenorum Reg. regnum in Ducatum verſum: quòd Dromneſus, homo ſummæ inclementiæ, Rex omnes virgines ante connubium cognoſceret: quem occidit Antenor, arrepto enſe, muliebribuſque veſtimentis aſſumptis: quem eam ob cauſam populus ſummis honoribus ornatum, Ducem ſibi conſtituit.

Superbi Tarquinii importuna dominatio & luxuria ſic affecit injuriis populum Romanum, ut is cupiditate etiam libertatis incenderetur: & pulſis Regibus, adminiſtrationem ſuæ Reipublicæ inſtitueret: & ex Imperio perpetuo annuum, ex ſingulari duplex: nè poteſtas ſolitudine aut mora corrumperetur: Conſuleſque appellavit pro Regibus, ut conſulere ſe civibus ſuis debere meminiſſent.

Appius Claudius Decemviratui finem dedit, ob cupiditatem & amorem illegitimum virginis.

Poſtquam Monarchia Aſſyriorum duraſſet per 1300. annos poſtremus apud eos regnavit Sardanapalus, vir muliere corruptior: quem videre cùm ægrè obtinuiſſet Arbaces, ſeu Arbactas præfectus militum ejus: & eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem inveniſſet, & muliebri habitu, mollitie corporis, & laſcivia eas oculorum anteeuntem, penſaque inter virgines dividentem: indignatus, conjuratione facta cum militibus, eum obſeſſum ſuſtulit, & Imperium in Medos tranſtulit.

Non eſt paſſus Deus ſuſcipere principalem dignitatem, & ſacerdotalem, Filios Heli ſummi ſacerdotis & principis, eò quòd propter ſua peccata retrahebant homines à ſacrificio Domini; & dormiebant cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi. 1. *lib. Reg.*

Cauſa, cur extincta eſt tyrannis Piſiſtratidarum, impura etiam luxuria fuit; Piſiſtrato enim mortuo, filius ejus Diocles per vim ſtuprata virgine, à fratre puellæ necatus eſt: & cum alter filius Piſiſtrati, Hippias nomine, Imperium tenens, interfectorem comprehendi juſſiſſet, qui per tormenta ſocios cædis nominare cogeretur, omnes amicos Tyranni nominavit. Quibus interfectis, quærenti tyranno, an alii reliqui conſcii eſſent. Nemo, ait, ſupereſt, quem mori geſtiam, quàm ipſum tyrannum. Qua voce ejuſdem tyranni ſe victorem, poſt vindictam pudicitiæ ſororis oſtendit. Ejuſque voce cum admonita libertatis civitas eſſet, tandem Hippias regno pulſus, in exilium actus eſt. Et ad Darium Perſam confugiens, aciem in Athenienſes dirigens, in Marathonio campo, ubi pugna cruenta commiſſa eſt, bello occubuit, & civitas plenè ab ejus tyrannide liberata eſt.

Mutatio quoque & finis regni Heraclidis contigit mirabili modo, per ſocordiam & voluptatem Candaulis regis ultimi: qui non contentus ſolus fuit conſuetudine uxoris: eam formoſiſſimam ſupra omnes fœminas collaudans, voluit nudam Gygi, uni ex ſuis ſatellitibus, oſtendere. Quo facto, & intellecto ab uxore: ea ira percita, quòd nuda viſa fuiſſet, Gygem in virum, & homicidam mariti elegit, & in dotem ſeipſam & regnum ei dedit. Et ſic regnum Lydorum ab Heraclidis in Mermnadas translatus eſt.

Childericus Rex Francorum, pater Clodovæi, regno fertur ejectus à Francis, quòd filias illorum conſtuprare cœpiſſet: cujus in locum electus Rex Ægidius, magiſter militum Romanorum, donec poſt octo annos, quibus latuerat, pulſus in Toringiam, ejecto Ægidio, rediit in gratiam Francorum, & regnum cepit ope & conſilio Vvinomandi.

Eadem occaſione Enricus Rex Gothorum, ab Arvernis Romam fugit, metu ne ab illis occideretur, ob nimiam luxuriam in mulieres. Cumque eandem vitam luxurioſam tentaſſet cum mulieribus Romanis proſequi, lapidibus obrutus eſt.

Culculenus Rex Scotorum, flagitioſiſſimus, Veneris & Bacchi mancipium, nobilium adoleſcentum corruptor, cædes, rapinas, latrocinia impunè permittens, dum ad comitia, quibus illi regnum abrogabatur, tenderet: à Cadhardo Scotiæ urbis Thano, cujus filiam corruperat, cæſus eſt.

Ab Hunnis, ſeu Avaribus rebellavit gens Sclavorum; qui & alio nomine dicuntur Vvinidii: quòd cum jam antea Avaribus primùm vectigalia veluti dominis dependerent, ut præliantium caſtra tutarentur, fugientibus auxilia ſubminiſtrarunt, ideoque plures ab illis ſibi contumelias illatas toleraſſent: ut non homines hominibus, ſed feræ potiùs viderentur imperitare vilibus jumentis. Tandem inter cætera peſſimè tulerunt, & dictu horrendum quoque & inauditum ſcelus in ſe perpetratum: quòd quaſi hyematuri, eorum adeuntes domicilia, uxores eorum ſuis aſſumebant ſocias ſtratis: quod poſteà inde geniti noluerunt pati, ſed moverunt arma in Hunnos. Et advenerat eo tempore mercator mercium comparandarum cauſa, Samo quidam natione Francus ex Senonibus, cum ſociis pluribus: qui cum Sclavis contra Hunnos bellum geſſerunt, & eos ſuperarunt. Unde factum, ut Sclavi eundem Samonem in Regem eligerent, qui poſtea pluribus præliis tutatus illos eſt.

Scribit H. Mutius, anno Domini 1300. accidiſſe, Comitem Habſpurgenſem habuiſſe quendam. Nobilem in valle arcta, Uraniæ arcis præfectum, ſuperbum tyrannum, intolerabilem: qui libidine inexhauſta formoſiores virgines, & matrona honeſtas corrumperet. Cum autem duorum Germanorum fratrum virginem compreſſiſſet, eum ab illis fuiſſe necatum: indeque ſecutam rebellionem contra omnes Nobiles, ita tyrannicè viventes: ſocietate primum ejus rei cauſa inita inter tres pagos, Ure, Suiz, Undervalden: ita ut omnis Nobilitas ferè inde extrita fuerit. Quemadmodum nec tulit Erythrienſium populus in gubernatione regiarum urbium gubernatores nobiles, licet eas diligenter curarent: ſed Rempub. mutavit.

Refert Theopompus, mutatam fuiſſe Monarchiam Rhodienſium in Ariſtocratiam, per voluptuoſum Hegeſilochum Regem Rhodium: qui cum ob temulentiam taloſque inutilis eſſet factus, neque ullam dignitatem haberet omninò apud Rhodios: ſed à ſociis omnibuſque civibus ob vitæ intemperantiam accuſaretur, paucorum principatum cum amicis conſtituit: qui multas nobiles matronas dedecore affecerunt, ac non paucos pueros vitiarunt: in tantumque petulantiæ proceſſerunt, ut vel talis luderent de liberis mulieribus, differentque inter talorum jactum, quam urbanorum victus ad victorem duceret. *Ex axiom. Pol. Georg. Richter.*

Achilles apud Homerum non potuit atrocius convicium ignavo ac væſano Regi dicere, quàm ut temulentum eum vocaret: hoc uno probro, quidquid erat graviſſimorum flagitiorum, complecti viſus.

Cato Cenſorius mirabatur, quomodo civitas, in qua piſciculus cariùs venderetur, quàm bos, diu ſtare poſſet: quoniam homines (ajebat Pythagoras) deliciis opimati & exſaturati, pigri & inſolentes fiunt.

Tradunt hiſtoriæ, Sardanapalum, Canadium, Dionyſium juniorem, Hieronymum, Heliogabalum, Amyntam, Periandrum, Piſiſtratum, Tarquinium, Ariſtocratem, Timocratem, Childericum, Andronicum, Rhodericum, Appium Claudium, Galeacium Sfortiam, Alexandrum Medicem, Perucium Senenſem, Lugtacum, & Megalum, Scotiæ reges, omnes ab Imperio excidiſſe, cum impuræ libidini, quàm virtuti ſervire maluiſſent. *Bod. de Rep.*

Ac majorum ætate, duæ Africæ urbes potentiſſimæ à Rege Feſarum defecerunt, propterea quòd Præfectus ſponſam alienam Regis exemplo rapuiſſet; quo ſtatim occiſo, Rex ipſe Feſarum Abuſaita, cum ſex liberis cæſus eſt à domeſtico ſervo, quòd ejus uxori ſtuprum intuliſſet.

Nec aliam ob cauſam populus Conſtantinus Africæ maritimæ, Delcajedi, qui à religione Chriſtiana transfugerat, Imperium, quàm Tunetani filium perpeti honeſtius putavit.

Cur ætate noſtra Muleaſſes de regno dejectus, niſi ab intemperantia? Qui tametſi exul in Italia & Germania vagaretur: ac opibus Caroli V. Imperatoris, in quo ſpes omnes collocarat, omninò deſperaret: nihilominùs ad pavonis unius, quo veſcebatur, condimenta vix aurei nummi centum ſufficiebant: ut quidem *Iovius* ſcribit. Et ut ſuavitatem ac dulcedinem, quæ ab armonia proficiſcitur, jucundiùs molliùſque hauriret, oculos velabat: quòd duobus ſenſibus duplicem voluptatem ſimul percipi non poſſe didiciſſet. Sed non ſine ultione divina ferro candenti oculorum lumen ſenſim exſiccantem, juſſu filiorum obcæcatus eſt, ac Imperio ſpoliatus.

Narrat *Idomeneus*, Piſiſtrati filios, Hippiam & Hipparchum convivia inveniſſe, & equorum aliorumque mulorum apud illos fuiſſe copiam, & ex eo fuiſſe eorum grave Imperium.

Ea occaſione uſus Carolus Martellus in invaſione regni Franciæ: Regibus tunc in deliciis tantùm viventibus, & negotia regni vi per Majorem gerentibus, qui Merovingorum familiam tunc ſceptro dejecerunt. *Bodin. de Repub.*

Campania invictum armis Annibalem luxuria illecebriſque ſuis complexa, vincendum militi præbuit; illa vigilantiſſimum ducem, illa exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, Veneris uſu laſciviore, ad ſomnum & delicias evocavit: ac tum demùm fracta & contuſa Punica feritas eſt, cum Seplaciaci & Albana caſtra eſſe cœperunt. Quid autem his vitiis fœdius? quid etiam damnoſius? quibus virtus atteritur: victoriæ langueſcunt: ſopita gloria in infamiam convertitur: animique pariter, & corporis vires expugnantur: ut neſcias, ab hoſtibuſne, an ab illis capi perniciosius habendum ſit. *Val. Max. lib. 9. c. 1.*

Scribunt authores fide digni, Xerxem oſtentatione opum regiarum eximia, euſque ad luxuriam gaudentem, cùm edicto præmium ei propoſuiſſet, qui novum genus voluptatis reperiſſet. Dumque deliciis nimiis captus eſſet, ampliſſimo regno ruinam dediſſe. *Val. ibid. Cic. 5. Thuſc. q.*

Erat Volſinienſium urbs opulenta, legibus & moribus ornata, Hetruriæ caput habita. Sed poſtquam in luxuriam prolapſa eſt, in profundum injuriarum, & turpitudinis decidit. Et cum cives ſervos ſuos ſine delectu manumitterent, conviviis alligarent, conviviis honeſtarent, Rempublicam amiſerunt, & Libertini in partem poteſtatis recepti, plenitudinem uſurparunt: teſtamenta ad arbitrium ſuum ſcribi jubebant: convivia, conventuſque ingenuorum fieri vetabant: filias dominorum in matrimonium ducebant. Imò poſtremò lege ſanxerunt, ut ſtupra ſua in viduis pariter & nuptis impunita eſſent, ac ne qua virgo ingenuo nuberet, cujus caſtitatem non ante ex numero ipſorum aliquis delibaſſet. Sicque luxuria aluit luxurioſiores: qui in ſe Rempublicam tranſtulerunt, eamque ita peſſimè adminiſtrarunt; donec poſtea prædicti Libertini, Romanorum ope per Decium Murenam, omnes aut in carcere necati ſunt, aut dominis in ſervitutem reſtituti. *Valer. lib. 9. cap. 1. Florus lib. 1. c. 21. Proſius lib. 4. c. 5.*

A tempore quo Paris fertur judicaſſe, in concertatione Junonis, Palladis & Veneris, pro Venere: omnia confuſa voluptate, perturbataque fuerunt, ut dicit *Athenæus*. Alludit autem ad ſubverſionem Imperii, vel regni Trojani: quod accidit ob voluptatem Paridis filii regis Trojanorum, qui rapuit Helenam, Græcorumque iram adverſus Ilium provocavit: qui regnum poſt decennalem obſidionem deleverunt. Atque Homerus cùm voluptatis mala Principibus inſinuare vellet, fingit Jovem, quæcumque de rebus Trojanis pernoctando rectè cogitaverat, ea per diem voluptate captum ſubvertiſſe: tumque fortiſſimum Martem à debiliſſimo Vulcano ligatum fuiſſe, qui cùm illegitimis amoribus detineretur, calumniam & pudorem ex illis reportavit. *Athen. lib. 12. Dipnoſ. cap. 1.*

Ferunt, & Sibaritas ob nimiam voluptatem, tandem per occaſionem vitiorum ejus, victos & ſubactos à Crotoniatis, & Rempublicam amiſiſſe. Cum enim in tantum voluptatum perveniſſent ſtudium, ut equos etiam ad tibiam in ſympoſiis tripudiare aſſueſeciſſent: Crotoniatæ id cognoſcentes, ubi cum his pugnarent, ſaltandi concinnitatem illis pararunt: ut aſſerit *Ariſt. in eorum Rep.* Aderant enim illis tibicines in acie militari: quorum cum tibiarum ſonum equi audiviſſent, non exſilierunt ſolùm, verùm etiam ſeſſores habentes ad Crotoniatas confugerunt. *P. Greg. Tholoſ. lib. 22. de Rep.*

Sic etiam Cardianos, qui ita quoque ad voluntatem equos ſaltare inſtituerant, fuiſſe ſuperatos, & fuſos à Biſaltis, refert *Athen. lib. 10. c. 15.*

Exemplo etiam erunt Athenæ & Roma. Nam quæ urbs voluptati plurimum tribuit, Imperium maximum amiſit: quæ labore delectata eſt, obtinuit & occupavit. *Liv. lib. 34.*

Et *Ariſtoteles*, plures Reges & Principes periiſſe ait, quòd in voluptatibus viventes, effecti ſunt contemnendi, ac multas præbuerunt occaſiones opprimendi ſeſe. *Lib. 5. Polit. c. 20.*

IMPUNITAS SCELERUM.

Tribus Benjamin deletur, cum juſſi Benjamitæ nollent ſiſtere cives Gabaonitas, qui ſtupraram Levitæ conjugem. Atque ita non ſunt deleti propterea tantùm, quòd aliqui ſtupraverant conjugem Levitæ, ſed quia ipſi ſtupratores adhuc abſque pœnis evaderent.

Heli ſacerdotis filii erant malè morati: qui inter alia ſcelera mulierum, Silo ventitantium orandi cauſa, pudicitiam ſollicitabant. Ille delatos ad ſe cum non debita ſeveritate caſtigaſſet, Deus propterea vehementer iratus, & ipſum, & filios, & nurum parientem eodem die è medio ſuſtulit, manifeſtiſſimi furoris & judicii ſui edito exemplo.

Lacedæmonii noluerunt punire nebulones, qui ſtupraverant filias Scedaſi: ibi ipſo in loco victi ſunt Lacedæmonii, & amiſerunt libertatem, & in ſervitutem venerunt, ac planè conciderunt.

Troja everſa eſt propter raptum Helenæ, cum Paris nollet reſtituere raptam conjugem Menelao marito.

Corinthus funditùs deletur à Romanis: cum impunitos dimiſiſſent Corinthii nebulones, à quibus legati Romani lotio perfuſi ante fuerant.

Arunti Hetruſco abducitur conjux à quodam adoleſcente, quem ipſe domi ſuæ aluerat. Re delata ad judices, vicit Lucumon, & cauſam obtinuit, ope amicorum, & pecuniæ, qua Judices corruperat. Irritatus Arunx hac injuria, profugit in Galliam, Galloſque in Italiam attraxit. *Vide Plut. in vita Camilli.* Direpta eſt tunc urbs Roma, & flammis deleta à Gallis.

Phillippus Rex Macedonum, pater Alexandri Magni, poſt non paucas & præclaras victorias, interfectus tandem fuit à Pauſania quodam alioque juvene, quòd ille injuriam, hujus honori factam, ſilentio & diſſimulatione prætetiiſſet. At juvenis, enorme ſcelus impunitum relinqui non oportere, nec Regem vivere, qui in eo conviveret, exiſtimavit. *Ioan. Spin. lib. 5. de tranq. animi, pag. 275.* De eodem *Franc. Patrit. l. 5. de regno, tit. 13. pag. 339.* ita: Nullius magis intereſt, quàm Principis, amicorum improbitatem ac petulantiam coercere. Eorum namque licentia, odium, ſimultatem exitiumque in ipſos etiam plerumque parit. Non ſui ipſius odio Philippus à Pauſania interemptus eſt: ſed quòd Attali turpitudinem ac petulantiam non vindicaverit, verùm illum excellentiori militia extulerit, & Pauſaniam conquerentem variis fruſtrationibus illuſerit. Iram ergo, qua in adverſarium tumuerat, in Regem ipſum evomuit: & occaſionem nactus, ultionem ab eo exegit, quam ab Attalo nunquam exigere potuiſſet.

SUPERBIA.

Superbia dejecit à principatu Luciferum: fecit ex Angelo Dæmonem. Qui eum imitantur, periculo ſimili ſe exponunt.

Hac etiam primus Homo, Rex factus totius creaturæ orbis, elatus & inflatus à Diabolo, à regno præcipitatus: & ſubditus creaturis, quibus antea imperare poterat: mortique factus obnoxius.

Sic Darius Arſani filius Rex Perſarum, qui ſe Regem Regum, ac conſanguineum Deorum vocabat, & Alexandrum Magnum famulum ſuum, juſſeratque Satrapis ſuis, ut inſanientem illum Philippum adoleſcentulum (ſic enim eum per contemptum, appellabat) verberibus puerilibus graviter cæſum, indutumque poſt veſte purpurea, ſibi vinctum traderent, ſenſit, quantum ſuperbia illa profuerit, exutus vita & regno ab eo, quem contempſerat.

Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ (*Ezech. 16. v. 49.*) ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius: & quo tempore magis intumeſcebat, omninò cum ſua Republica ſublata eſt. *Gen. 19.*

Senſit id Nabuchodonoſor Aſſyriorum Rex, ubi enim ſe ſuperbè extulit, dicens: Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ædificavi in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? ſtatim ab hominibus ejectus eſt, & de regno deturbatus eſt: teſte Daniele.

Pharao Rex Ægypti cum ſuo exercitu aquis involutus, ſerò didicit, quòd nimiùm ſuperbè Moyſi reſpondiſſet: Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam; ut docet Exodus.

Cùm eſſet aliquando poſt diluvium populus unus, labii unius & regni: & eò ſuperbiæ perveniſſet, ut vellet ſibi parare in poſterum præſidium contra aquas adverſus Deum, & teſtimonium ſuæ ſuperbiæ relinquere, dicentes: Faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras: Deus confudit linguas eorum, & diviſit & ſeparavit eos, diſperdiditque ſuper faciem cunctarum Regionum.

Arphaxad Rex Medorum, poſt ſubjugatas multas gentes Imperio ſuo, & ædificata civitate illa magna Ecbatanis, cum gloriatus eſſet, tanquam potens in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarum ſuarum, anno 12. regni ſui ſuperatus eſt à Nabuchodonoſore, qui regnabat in Ninive. Qua rurſus is victoria elatus ſupra modum, juſſit per Holofernem principem militiæ omnem orbem ſubigeret, & omnes Deos de terra tolleret, ut ipſe ſolus Deus diceretur. Verùm tanta ſuperbia per unicam fœminam Judith, Deo auxiliante qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam, dejecta eſt, ablato Holoferni capite, & inde fugato & diſſipato ejus copioſiſſimo exercitu.

Cum etiam Antiochus Rex, ſuperbia & ira concitus, juraſſet,

A raſſet ſe venturum Hieroſolymam, & congeriem ſepulchri Judæorum eam facturum: à Deo percuſſus eſt inſanabili & inviſibili plaga, & inde obiit miſerabili morte; ut conſtat *ex hiſtor. Machab.*

Annibal Cannenſis pugnæ victoria elatus, nec admiſit quemquam civium ſuorum in caſtris: nec reſponſum ulli, niſi per interpretem, dedit. Maharbalem etiam ante tabernaculum ſuum clara voce affirmantem, proſpexiſſe ſe, quonam modo paucis diebus Romæ in Capitolio cœnaret, aſpernatus eſt. Attamen haud diu poſt:

Finem animæ quæ res humanas miſcuit olim,
Non gladii, non ſaxa dabant, non tela: ſed ille
Cannarum vindex, & tanti ſanguinis ultor
Annulus.

Iuvenal. ſat. 10.

CRUDELITAS.

Ita fuerunt inviſi omnibus nationibus Cynathenſes cives in Arcadia, omnigenæ crudelitatis participes, qui poſt ingentem ſeditionem legatos Spartam miſerunt. Verùm in quamcumque civitatem eundo Legati illi Arcadiæ ingreſſi ſunt, ex B ea mox per ignominiam fuerunt expulſi; & reditus ad eam interdictus, quanquam ex Arcadum eſſent genere Mantinenſes, & jam poſt illorum diſceſſum, expiationibus, ac ſacrificiis civitatem, ac circumſtantia quæcumque loca purgaverunt. Tam inviſa fuit omnibus eorum crudelitas.

Effecit crudelitas, ut Perſarum regnum deſtitueretur ſucceſſore legitimo. Poſtquam enim temporibus Alexandri Magni, Darius vivente patre Artaxerxe Rex creatus, in patrem conjuravit: eo cum patre mortuo, regnum pervenit ad Ochum fratrem Darii, qui metuens ſimilem conjurationem cognatorum & Principum, ſanguine & cædibus regiam implevit: ut poſt mortem ejus nullus inventus ſit ex genere ſucceſſor; & Codomenus quidam electus fuerit in Regem à populo cum titulo & nomine Darii, quem vicit Alexander Magnus, & fugientem cognati proprii necarunt. Hunc Darium fuiſſe legimus Arſanis filium, qui decimus quartus à Cyro totius Orientis Monarchiam tenuit. Objicitur autem ei ab Alexandro apud Arium, quòd poſt mortem Ochi, filium ejus Arſin necaſſet, & contra legem Perſicam, quæ per genus deferebat Imperium, regnum occupaſſet.

C Ariſtocrates, Scetæ filius, Rex Arcadiæ, ob proditos ad foſſam magnam Meſſenios, ab Arcadibus lapidatus eſt tanta invidia, ut à domo Cypſeli Arcadum Imperium removeretur: fuerat ejus avus Ariſtocrates Archimedis filius, ob inceſtum cum virgine Sacerdote, lapidibus obrutus.

Amaſis Ægyptiorum Rex, cum pleroſque ex ſuis ultimo ſupplicio affeciſſet, alioſque fortunis ſpoliaſſet, & in omnes inſolentior ac ſuperbior fieret: ejus Imperium aliquantùm toleratum eſt, donec Actiſanes, Æthiorum Rex, in eum irrupit. Tunc enim odia occulta erupere: cumque multi ab eo deſciviſſent, regno tandem pulſus eſt.

Refert de Thrizo inſigni tyranno Ælianus, ita eum ſubditis evaſiſſe infeſtiſſimum, quòd legem tulerit, ut nemo publicè, aut privatim invicem colloqui, aut ſermones invicem miſcere auderet: imò ne nutu oculorum manuumque geſtu animi ſenſus exprimere. Sed cum adhuc vellet adimere flendi libertatem, & contra flentes cum ſatellitibus in forum perveniſſet, ſubditos ereptis ſatellitibus armis, ſuum quoque Tyrannum ſuſtuliſſe.

Cùm Arſacidarum quoque genus, quod imperabat Parthię in crudelitatem incidiſſet velut hæreditariam, juſto Dei judicio D finem accepit. Siquidem Mithridates cognomento Magnus, filius Arthabani, Rex, poſt bellum in Armenos feliciter geſtum, à ſenatu Romanorum Parthico Regno pulſus: & frater ejus Herodes, ſeu aliis Orodes, regnum occupavit: quique etiam fratrem, qui ſe ei dederat, in ſuo conſpectu trucidari juſſit. Tuncque cœpit fatum propinquum accelerari Parthis, cujus jam quaſi ſolemne cœperat haberi, Reges eſſe patricidas. Atque ex Herode & pellice ejus filius Phrahartes III. nomine conſtitutus Rex, ſtatim patrem interemit, & fratres triginta trucidavit, & filium adultum interfici juſſit: evaſitque inſolentior, quòd Antonium & legiones Romanas viciſſet. Quarè cum multa crudeliter conſuleret, in exilium à populo ſuo pulſus eſt: quo abſente, Tyridatem Regem crearunt, qui confugit ad Romanos, eoque tempore Imperium Parthicum Romanorum conjunctum defecit.

Pruſias Rex Bythinæ, cum conſilium cepiſſet occidendi Nicomedem filium, dum ſtuderet minoribus filiis, quos ex noverca ſuſceperat, & Romæ habebat, re prodita juveni ab his, qui ſcelus implere promiſerant, ipſe præoccupavit inſidias iiſdem hortantibus: & cum accitus in regnum veniſſet, ſtatim E Rex appellatus, patrem Pruſiam regno privavit: qui poſtquam privatus eſt redditus, derelictus à ſervis, cum in latebris ageret non minori ſcelere, quàm filium occidi juſſerat, à filio occiſus eſt. Sic recidit crudelitas in artificem: & cum regno, quod per crudelitatem conſervare decreverat, privavit.

Meminit quoque Aimoinus, Childebertum ejus nominis II. Regem Auſtraſiæ, filium Clodovæi, & poſtea Regem Franciæ, levem fuiſſe nimis, & multos Francos oppreſſiſſe, unumq; ex illis nobilem, nomine Bodilonem, ad ſtipitem tenſum valdè cædi ſine lege juſſiſſet. Et proinde per Vvigeberthum & Amalberthum Francos, reliquoſque majores natu, contra ipſum Childeberthum ſeditionem concitatam: & Bodilonem cum reliquis inſurgentem, regi inſidiatum, eum intereniſſe cum regina ejus prægnante.

Ut & Martialis quidam Centurio, unus è cuſtodibus Antonini, eum obtruncavit, quòd paucis antè diebus Principem fratrem ſuum, delatum tantùm, ſed minimè redargutũ, occiderat.

Ariſtocratia Mitylenenſium mutata in Democratiam, & Penthalidæ ſubacti ob injuriam illatam civibus. Sicque Megacles apud Mitylenem Ponthalidas circumeuntes, & clavis pulſantes, cum amicis aggreſſus interfecit. F

Aſdrubalis poteſtas à ſervo ſublata eſt barbaro, qui eum ſubitò aggreſſus necavit, ubi dominum ſuum occidiſſet.

Et anno Dom. 1523. Chriſtiernus Danorum Rex fuit ob tyrannidem regno pulſus à ſuis: & dehinc cum decimo pòſt anno ſui exilii, conſcripto milite conaretur ditiones ſuas recipere, & in Norvegiam & Daniam veniſſet, captus eſt: miſſus inde in carcerem, captivus finivit vitam.

Defecerunt à Demetrio Rege Syriæ, Antiochenſes, duce Tryphone, execrantes ſuperbiam Regis, quæ converſatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat.

Hiero Rex Syracuſarum, propter crudelitatem & ſuperbiam à ſuis interfectus eſt, & Monarchia rediit ad Democratiam.

Ab Aſtyage rege Medorum defecit regnum, & à Medis in Perſas translatum per Cyrum nepotem Aſtyagis fuit per conjurationem Harpagi. Is enim Harpagus juſſus impiè ab Aſtyage exponere & necare recèns natum ex filia ſua Cyrum, cum eum conſervaſſet, incidit in odium Aſtyagis, qui in ultionem conſervati nepotis ejus filium interfecit, epulandumque patri tradidit. Sed Harpagus ad præſens tempus diſſimulato dolore, odium Regis in vindictæ occaſionem diſtulit, & ita prodidit G regnum, & favit Cyro.

AVARITIA.

Batto Dalmaticis rebellantibus Dux, tractans cum Tiberio Romano Cæſare de pace, interrogante Cæſare, Cur ita deficerent & rebellarent Romanis, reſpondit: Vos, inquit, ipſi in culpa eſtis, qui ad veſtros greges cuſtodiendos, non canes, paſtoreſve, ſed lupos mittitis. Idipſumque, cum ſecundò rebellaſſent, reſponderunt.

Defecerunt à Roboam Rege, filio Salomonis, decem tribus, quòd interpellatus & rogatus à populo de remittendis tributis & oneribus, quibus Salomon eos oppreſſerat, plura impoſuit.

Mauritius Imperator, Cappadox genere, & ſucceſſor in Imperio Tiberii ſoceri, primũ ob avaritiã deſertus à militibus à Phoca Cẽturione limitis Scythici captus, & ſecuri percuſſus fuit.

Et rurſum idem Phocas eo non melior, ob eundem avaritię morbum contumeliis affectus, poſtquam 13. annos regnaſſet, è medio ſublatus eſt.

Defecerunt ad Parthos, civitates Syriæ ab Antiocho Magno Rege, dicto Sedete, cum gravari ſe copiarum præbitione, & injuriis militum viderent: quare etiam die ſtatuta diviſum per H hyberna exercitum omnes aggreſſi ſunt.

Albertus Megapolenſis Ducis filius, Sueonum & Gothorum Rex creatus, cum exhauſtum ærarium reperiſſet conſiliariorum peſſimorum rapinis, coactus eſt vim ſubditis inferre, & contractis ad convitia Pontificibus, proceribus & cæteris, qui in regno prædia poſſidebant, tertium prædium ab his pro ſua curia ſuſtentanda poſtulavit; ſtatimque ſine conſenſu poſſeſſorum, omnium quæ voluit, nullo ſervato numero, occupavit. Cæterùm ob eam tyrannidem proceres cum Margarita Daniæ regina conſpirantes, eum regno ejecerunt.

Cum Mammæa etiam, mater Alexandri Imperatoris Romani, ſimularet, ideò ſe theſauros congerere, ut ſuppeditare Alexandro poſſet, quo is facilè abundanterque ſuis largiretur militibus, & proprios tamen domi theſauros ſtrueret; ea res notam infamiæ Imperatori attulit, quia etiam illo invito & indignabundo, mulier avida bona quorundam per fraudem, atque hæreditates ſuppilabat. Fuit & ea avaritia & exactio nimia cauſa defectionis ab Imperio Africæ, & malorum odiique popularis in eum Imperatorem.

Malè

A Malè audivit Darius ob curam vel ſolam exigendorum tributorum, quæ per Satrapas certa diſtribuit; unde Perſæ dicebant, Darium fuiſſe inſtitorem, Cambyſem, dominum: Cyrum verò patrem. Quoniam Darius res omnes quæſtui habebat: Cambyſes aſper erat & moroſus: Cyrus mitis, & omni ratione de illis benè mereri ſtudebat.

Cauſa iræ Dei & ſubverſionis domus Achab, Jezabelis & poſterorum, fuit cupiditas habendi vineam Naboth, quæ induxit homicidium ejuſdem, ut docet ſacra Regum hiſtoria.

SUBDITORUM NIMIA POTESTAS.

Jeroboam Nabath filius, ex ſerva matre natus, adhuc juvenis ædificationi murorum Hieroſolymitanorum ſubſerviens, à Salomone rege primùm præfectus operi, dehinc tributo Joſephæorum contribulium, tandem decem tribus regno illi ſubtraxit.

Philippus Arabs præfectus negotiorum Imperii, exiſtente adhuc minore Gordiano nepote ex filia Gordiani majoris, doloſè concitavit ſeditionem inter milites, ſubtractis conſultò annonis; eaque occaſione, indignum eſſe Gordianum, qui imperaret, facilè militibus perſuaſit, & ſe potiùs dignum. Quare ſe B primum tutorem creari obtinuit, poſtea & Imperatorem à militibus, atque ita uſurpato Imperio, Gordianum interfici curavit.

Sejanus ad ſummam dignitatem per Tyberium evectus, invadere factionibus Imperium tentavit.

Sub Severo Antonino Plautianus Afer natione, ex parva humilique fortuna ab Imperatore ad opes maximas provectus damnatorum bonis adjudicatis longè ſupra cæteros locupletatus, omnibuſque dignitatibus; excepta tantùm Imperii participatione, honoratus, cujus & filia uxor data erat filio Imperatoris: opibus & licentia abutens, in tantam crudelitatem violentiamque evaſit, adeò trux & horribilis, ut non modò non adiretur à quoquam, ſed etiam qui fortuitò occurrebant, ab eo averterent oculos: tandemque auſus & ipſum Imperium appetere inſidiis, cum Saturnino pactus, ut abiret in aulam Principum, quaſi aliqua arcana habens ex ejus parte mandata, utrumque & ſenem Imperatorem & filium obtruncaret. Quod & factum fuiſſet, niſi Saturninus rem detexiſſet Imperatori, qui paratus ad inſidias excipiendas eum obtruncavit, tanquam manifeſtum hoſtem.

De Galba Imperatore, alioquin bono Principe, ſcriptum eſt C multa perniciosè geſta & cum populi jactura ſub ejus Principatu, quod regeretur trium arbitrio, quos unà & intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, pædagogos vulgò vocabant. Hi erant, Titus Junius, legatus ejus in Hiſpania cupiditatis immenſæ; Cornelius Laco, ex aſſeſſore præfectus Prætorii, arrogantiæ ſocordiæque intolerabilis; Libertus Icellus, paulò antè annulis aureis, & Marciani cognomine ornatus, ac jam ſummo equeſtris dignitatis gradu candidatus. Quibus diverſo vitiorum genere graſſantibus, adeò ſe abutendum permiſit & tradidit, ut vix ſibi ipſi conſtaret. Quamobrem & ob geſta illorum, malo conſilio, irritavit in ſe totius Reipublicæ odium & offenſionem, & invidiam militum & exercitus, & tandem trucidatus eſt.

Fuit Cleander Phryx genere, ex ea nota hominum, qui publicè per præconem væneunt. Hic cum in domum Imperatoriam ſervitio fuiſſet traditus, & cum ipſo Commodo Imperatore accreviſſet, eò honoris & dignitatis provectus eſt, ut & corporis cuſtodiam, & cubiculi curam, prætereà militum pręfecturam ſolus obtineret. Cæterùm divitiæ & luxus etiam illum ad Imperii ſpem inſtigabant. Quarè grandi coacta pecunia D plurimum frumenti coemit: id autem concluſum habebat, ut tempore neceſſitatis, & famis, penuria laborantes ſibi conciliaret. Gymnaſium quoque maximum ædificaverat, publicatis etiam balneis, ut eo modo populum ineſcaret. Quod feciſſet, niſi populus infenſus, ſeditionem moviſſet; Commodus ſibi timens, inſatiabilitati ejus reſtitiſſet, & ab Imperatore caput ei abſcindi non fuiſſet mandatum, & poſteris. Quo facto, pacata fuit ſeditio, & Commodus Imperium ſibi conſervavit.

Majores domus in Gallia, in quos adminiſtrationis regni ſumma translata erat à Regibus, tandem ipſos Reges pepulerunt, & ſibi Imperium retinuerunt.

An meliora expectanda fuerant in regno Hiſpaniæ, dum nuper ſub Philippo III. ſummam rei adminiſtraret Dux Lermæus, admodùm providè & tempeſtivè purpura donatus, priuſquam illius & aliorum complicum, utputa Calderonis, &c. machinationes, Deo ita diſponente, detectæ fuerunt? Siquidem eò potentiæ, & auctoritatis devenerunt, ut ad Lermæum in graviſſimis rebus tot Regnorum, ceu ad oraculum aliquod, concurſus & recurſus fieret, ab illius nutu rerum humanarum mole velut pendente.

EXTERORUM SUSCEPTIO E

Favor nimius, Promotio, Exaltatio præ Incolis & Indigenis.

☞ *Pete multa ex Loco de Exteris & Externis.*

IMPERIORUM PERIODI, MUTATIONES VARIÆ.

☞ *Quære in Titulo de Annis Climatericis, & Enneaticis. Item nonnulla Tit. de Numeris, ubi de Septenario agitur.*

IMPERATORUM SERIES.

☞ *Vide locum de Cæſaribus. Item Locum de Magiſtratu, Tit. Magiſtratus Chronologicè conſideratus, ubi Imperatores Orientis, & Occidentis enumerantur, qui ante & poſt Chriſtum, orbem gubernarunt.*

* IMPERATORIS HIEROGLYPHICUM.

Ægyptii Sacerdotes, ſi vellent Imperatorem, aut potentiſſimum quempiam Regem per inſtitutas ab eis imagines indicare, *Anguem* in ſpiram collectum faciebant, palatii cujuſdam ſpecie in voluminum medio ſtatuta. Siquidem domus Regia in Imperii totius centro ſita eſſe debet, ut omnium æquè commodis conſulatur. *Pier. Valer. lib.* 15.

Alii *Aquilam* Majeſtatis Imperatoriæ hieroglyphicum cenſent. De quo vide *Pier. Valer. lib.* 19. F

Impietas.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

IMpietas eſt vitium pietati oppoſitum, pravus videlicet & ſceleratus adfectus erga Deum, ejuſve cultum, parentes, conſanguineos & patriam. Erga omnes enim iſtos pietas propriè exercetur, hoc eſt, ſincerus adfectus oſtenditur, quatenùs ſunt principium bonorum noſtrorum, ortuſque & educationis. De ea *Cic. lib.* 4. *de fin.* Nihil eſt, quod tam miſeros faciat, quàm impietas & ſcelus. Græcis dicitur Ἀνοσιουργία; ἀθεότης. Primò tamen ac principaliter reſpicit parentes & conſanguineos, qui poſt Deum auctores ſunt ortus noſtri & educationis. Quamvis uſus obtinuerit, ut idololatræ & peccatores vocentur impii, & maximè in Atheos dicitur, qui omnem Dei cultum tollunt.

IMPIETAS ERGA DEUM. IMPII ERGA DEUM.

In Genere. G

☞ *Vtputa* Qui Deum negant.

☞ *Quære Titulum de* Atheis. *Item Locum de* Deo.

NEGANT CURARE HUMANA.

Sunt qui in fortunæ jam caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices, & lucis, & anni,
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt:
Eſt alius metuens, ne crimen pœna ſequatur:
Hic putat eſſe Deos & pejerat, atque etiam cum
Decernat quodcunque volet de corpore noſtro
Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro.

Veteribus perſuaſum erat, offendi divos inferos, ſi mortuo negaretur ſepultura; offendi Jovem ſupplicum, ſi quis ſupplicem rejiceret. At Creon *apud Eurip. Suppl.* putabat, nihil hujuſmodi rerum curæ eſſe diis, quòd illi non queant à quoquam lædi.

Θεοὺς μιαίνειν ὅτις ἀνθρώπων σθένει. *id eſt,*
Violare divos, nemo quit mortalium.

Providentiam multos negare ex infelicitate bonorum, & proſperitate malorum, *Ovid.* 3. *Amor.* 8. his verbis, ſub ſua perſona, impiè affirmat: H

Cùm rapiant mala fata bonos, ignoſcite faſſo,
Sollicitor nullos eſſe putare deos.
Vive pius, moriere pius: cole ſacra, colentem
Mors gravis à templis in cava buſta trahet.

Plinius Secundus Deum quidem eſſe, verùm curam rerum humanarum nullam habere, opinatus eſt, *lib.* 2. *c.* 7.

DEFORMANT SIMULACRIS.

☞ *De his ſub Superſtitionis loco.*

Empedocles reprehendit Homerum atque Heſiodum, ac cæteros omnes poetas, qui ſpeciem hominis diis affingerent, quæ nullo modo, ut ipſe docet, ipſis congruebat. Hi autem verſus ipſius leguntur *apud Ammonium in commentario in ſegmentum* 4. *Ariſtot.* περὶ ἑρμηνείας, quibus Agrigentinus ille ſapiens queritur in hanc culpam incidiſſe mortales (tunc autem de Apolline loquebatur, nec tamen non cæteros etiam deos intelligebat, qui omnes forma illa præditi fingebantur.)

Οὔτε γὰρ ἀνδρομέη κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται,
Οὐ μὲν ἀπαὶ νώτων γε δύω κλάδοι ἀΐσσουσι,
Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦνα, οὐ μήδεα λαχνήεντα·

Aa Ἀλλὰ